
















BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS


2130.

EPITHALAMION

IOHANNIS GEORGII SADOLINI VIBERGII SCRIPTUM

in honorem nuptiarum D. IOHANNIS, FRANCISCI Ripensis, Doctoris Medicinæ, & MARIÆ, filiæ V. C. Laurentij Olai Bagij.

EIUSDEM FASCIculus Apollinaris.



VVITEBERGÆ
EXCUDEBAT IOHAN. SCHUVERTELIUS.
ANNO M. D. LXVI.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

CLARISSIMO VIRO DN. IOHANNI FRANCISCO RIPENSI,

Medicinæ Doctori, & sapientiæ in Regia Danorum Academia Professori,

Ioh. Georg: Sadolinus Vibergius

S. P. D.



VM POST LONGAM & eandem difficillimam, licet virtutis nomine periucundam, quam meliorum studiorum causa per Germaniam & Galliã susceperisti peregrinationem, tu mihi tandẽ D. Iohannes Francisce, oblatus in Gezoræa regione Falstrica, apud nobilem virum Claudium Vitfeldium, qui nos tunc temporis ad cœnam humaniter vocauit, mecũ familiariter ageres: Videbamur nouis confabulationibus, quid enim impedit quo minus apud Poëtam Poëtico vocabulo vtar? & iucundis collocutionibus nostram in exteris regnis contractam amicitiam quodammodo renouare. Et quanquam ea quæ nos in longinquis oris, partibusq́; terrarum, piæ necessitudinis copulatio per Musas tanquam æterno fœdere coagmentauit, tàm arcta est, tamq́; cõstricta, vt vel ab ipso Momo reprehensionum, seu potiùs

calumniarum Deo, vllo criminationis artificio distrahi nequeat: tamen per hunc nostrum amabilem & honorificum congressum veteris eius amicitiæ lex clarior reddita, & pristina illa nostra consuetudo splendidior facta, nos quasi somno excussos venerabili quadam voluptate perfudit, adeò vt qui proximis his annis admirabili Fatorum volubilitate & fortunæ inconstantia à nobis inuicem disiuncti, nescio quas, animi nebulas per alti silentij diuturnitatẽ contraxeramus, eas iam laudabili diuinæ Maiestatis decreto, & cœlesti ductu denuò consociati, mutuo sermone non secus ac desiderabili Solis calore extenuatas, propulsauerimus. Quapropter ego diuinitus te in Gezoræam translatum, existimo: & eò gentium me quoq; peculiari sidere abreptum venisse, mihi persuadeo. Nihilo secius ego gratiã habeo Clau. Vitfeldio nostro, qui per literas me suas certiorem de tua præsentia reddens autor fuit, vt ex Lolandia ad te traijcerem. Enimuero per operam bonorum hominum voluntas Dei opt: max: plæruną; dirigitur. Imò & tibi faueo, vt propter alia multa, ita plurimùm, quòd me insalutato recedere noluisti, quamuis, me inscio si abijsses, legitimæ te occupationes excusare possent. Nam te ob eximias tuas virtutes quemadmodũ reuerenter amo, eodem modo me syncerè & candidè abs te redamari vehementer lætor. Ex quo factũ est, vt il-

vt illam tecum noctem hilari & prompto ad iocandum animo producerem: quam iucunditatem sua quoq; præsentia suauiorē nobis exhibuit generosus homo Albertus Becchius Herus Beldringensis, qui eruditione & prudentia ornatus, & apud exteros feliciter versatus vltrò in meā familiaritatē, quod mihi valdè gratum est, sese intulit. Interea tacitè gaudebam te amicum, & diu exploratum sodalem, et eundē meum conterraneū (vt cum C. Plinio castrense verbū vsurpem) dignitate sapientiæ, & honorum magnificentia, sicut & ætatis vigore florentē iuuenem, ad tantum fastigij euectum, vt à summis Principibus, & à doctißimis quibuslibet viris vnicè amareris. Enimuero te illustrißimo Regi nostro D. Friderico Secundo: D. Iohanni Frisio Heroi Heslagriensi, et multis alijs acceptum videbam. Sapientißimos quosque viros in nostra, quæ te Professorem & Medicinæ Doctorē habet, Academia, tibi familiares cognoscebam: è quorum numero Iohannem Monasteriensem, veterē meum præceptorem, hominem virtutibus et ingenij dotibus excellentißimum tibi in honore esse, quod ex priuatis tuis de eo colloquijs percepi, me profectò plurimùm delectat. Hæc autem tua, Iohannes Francisce, felicitas vt Reipub: saluris foret tunc petij, & nunc idem ardentibus votis peto. Nec immeritò quidem id à me fieri dijudicabunt omnes: quia & tu de meo successu

 læta-

Lætaris, et gaudes clarißs: viros mihi familiaritate cõiunctos, quales sunt præclari Heroës Absolon Vrno Dominus Orſmarchienſis, & eiuſdẽ vicinus Iuarus Longerus Dominus Azerſtorpenſis, ambo literis, virtute, & ſtemmate inſignes, quorum vtinam ſtudium imitarentur alij noſtri nobiles, quos fortunæ dignitas ad gloriæ amplitudinem euexit. Cæterum dum more Poëtico, hoc eſt largius vino operam impenderemus, Pegaſo, neſcio quo, ſublatus Apollinem & Muſas ad thalamum tuum adducturum me polliceri auſus ſum. Me verò ſiue per iocum, ſiue, quod haud negauerim, ſeriò hac de re loquentẽ, tu, qui tuus eſt candor fide obſtrinxiſti. Ad perficiendos iſtos labores mihi ſpacium aliqvot dierum proponebatur. Poſtero die manè te itineri Haphniam verſus accinxiſti: & quia ægrè à nobis inuicem diuellebamur, ad aulam Seropiam te cum Alberto Becchio comitatus ſum. Nec ea nox ſine iucundis fabulis nobis euanuit. Vnum hoc me mouit, quòd temporis penuria perſtrictus ſuauißimo meo amico Dauidi Cellio, et meo, quem non minus ac fratrem diligo, Iohanni Saſceridi ſcribere ſeorſim non potuerim. Summo enim diluculo abitum maturaſti. Nihilominus arrepta teſtudine, non equidem Orphica illa qua Dij & Heroes delectantur, ſed quam pro loci & temporis conditione Faunus iſte Seropenſis mihi ſuppeditauit, breue, quod tibi dedi, car-

di, car-

di, carmen expreßi, quo & amorem erga te meum ostenderem, & vt amicos meos meo nomine salutares, admonerem. Quid autem refert illud ipsum, qualecunq; est, huc ascribere?

Clara medendi clara scientia
Doctor Iohannes, & nitida caput
Incincte lauro, qui sacrato
Pectore alis faciles Camœnas:
Per multa vectus regna per & freta
Caussa Thaliæ, redditus es mihi
Tandem. Sed heu quid tàm repentè
Me veterem socium relinquis?
Tuos labores nobilium chorus
Poscit: petitq; hos nostra Academia.
Quare ô Deo Rege hinc recede,
Et socios alios require.
Quibus salutem nomine tu meo
Dicas velim: nec Sasceridem meum,
Nec Cellium fidum sodalem
Neglige, nec reliquos amicos.
Eià, quid acer Iuppiter immines
Tanta ira ab alto vertice siderum?
O cœlum, ô tellus, salumq;
Nomine propitio vigete.
Sic dulciori carmine sæpius
Cantabo Christi splendida nomina,
Qui ducit & mitis reducit
Eximiæ socios Mineruæ.

Quod carmen rude quidem, & ieiunum, ſed ab animo ſyncero profectum, tibi optimo homini & ſapienti viro non diſplicuiſſe mihi mediusfidius non iniucundum eſt. Et meum pro te votum haudquaquam irritum opinor. Sed enim hîc inter ſpem & metum hæreo: ſiquidem quid horrenda iſta cœli facies tibi abeunti aduexerit, nondum percepi. Dic igitur, ô optime, túne ſaluos amicos ſaluus ipſe reuerſus inueniſti? Me, ſi neſcis, poſt tuum à nobis diſceſſum frequens amicorum turba ad conuiuia & potationes abſtraxit. Tùm officij mei conditio me ſæpè ad publica in hac terra negocia auocauit. Quid? quòd & multas horas cura ſibi domeſtica poſtulauit? Interea promiſſi memor Epithalamium ad tempus mihi præſcriptum vt potui, volui quidem optimè, deſcripſi, ne apud te ſummum amicum, & eundem te ſapientem hominem fides mea periclitaretur. Vt meum in te ſtudium probes reuerenter oro. Decet enim vt boni & ſynceri amici, quàm ſeſe adornent mutuò, tàm mutuò ſibi ignoſcant, etiamſi ex ſententia non ſatis rectè, illud quod ſtatuerunt, ſemper ſuccedat. Certè quidem honeſtam piorum hominum voluntatem vel ipſe Deus magnifacere conſueuit. Vale & tuum Iohannem Georgium, quod facis, ama & bonis commenda. Ex ruſculo Flintingico, die XV. ab eo quo te ex Gezoræa Haphniam verſus recepiſti.

Ad

AD D. IOH. FRAN-
CISCVM. R.

PEr nemus Aonidũ, fœcundaq́; rura Mineruæ
Nuper vt efferrem, ſole nitente, pedes:
Mirarerq́; tuas, Tegeæe diſerte, volucres,
Quas & apes paſcit flore Thalia nouo:
Hanc faciem, dixi, præbet Flintingica ſylua,
Et decorat ter tres quæ, Toronilla, Deas:
Tàm ſimili gaudet veneranda Lolandia cantu,
Noſtraq́; tàm dulci pectora melle madent.
Me benè felicem quem detinet illa voluptas:
Commoda crediderim tanta decere Iouem.
Gratia, Chriſte, tibi qui talia munera donas,
Donas & ſtudijs ocia grata pijs.
A ſtrepitu vano liber, nocuoq́; tumultu,
Partibus indico, quæ peragenda, meis.
Retibus eductis nunc piſces capto ſalaces:
Nunc mihi dulciſonas fiſtula fallit aues.
Corpus & interdum molli perſtringo palæſtra:
Interdum Latia carmina tento lyra.
Sæpeq́; cum ſocijs cœno, bibo, canto, iocorq́;,
Et linguæ nugas liberioris amo.
Sæpè cano Regem, patriam, ſociosq́;, Deumq́;,
Et tribuo Nymphis nomina clara meis.
Me genius quòd ſi curis grauioribus vrget,
Prontinus exhilarat me mea Volphiola:
Qua neq; Panthenis neq; culta Theophila maior
Extitit ingenio, pectore, voce, fide:

Vtraq; præstantis decus inuiolabile Cani,
Vtraq; Cyrrhæi fulgida fama gregis.
Vix ea finieram: solers apparet Agyleus
Quem circa lepidæ concinuêre Deæ.
Latous pileoq;, togaq;, ocreisq; refulsit,
Hoc tamen ex habitu non mihi notus erat.
Illius ex humeris pendens testudo sonora
Hunc ipsum Clarium prodidit esse Deum.
Vestibus incinctis Diuæ fulsêre: simulq;
In nodum tortis emicuêre comis
Sic peregrinantes nostratum more, puellæ
Carpere sueuerunt per loca longa viam.
Non satis agnoui quò vellet Musica turba:
Sic ibi perculerat me timor atq; stupor.
Laurigeri gressum quis cernit Apollinis omnẽ?
Sensa quis Aonidum singula nosse potest?
Tandẽ ego: quid merui, quid nostra relinquitis arua,
Quæ premitis dulcẽ, numina casta, chelyn?
Nónne ego vos posthac nostra regione videbo?
Perpetuon' facies vestra carenda mihi?
Solus an hîc degam sine vobis? solus an errem
Tristis, & à lusu caminibusq; procul?
Me reficit, fateor, coniunx gnatiq; pusilli,
Quiq; mihi Bacchus pocula plena vehit.
Me decus exhilarat Cereris, Fauniq; potentis:
Me iauat, ardenti qui micat igne, focus.
Quis tamen est adeò demens, adeòue superbus,
Vt Phœbum, & Musas nolit adesse sibi?
Qui

Qui caruisse potest vobis, ô numina læta,
Ingenij flammis hic caruisse potest.
Talia dicebam (testis mihi florida Chloris)
Dicere vel saltem talia visus eram.
Tum leuiter ridens Aglaia: Iane Georgi,
Pone metum, nec te comprimat angor: ait.
Non equidem Vatem te deserit almus Apollo:
Non te Pieridum spernit amica cohors.
Nam licet haud posßis veteres æquare Poëtas,
Nec superes Vates menteq; & arte nouos:
Id tamen affirmo, neq; enim Dea, viuida fallor,
Tu Sadolinææ gloria stirpis eris.
Cimbrica metropolis, tua patria cara, Viberga
Nobilius nomen per tua scripta geret.
Carmine tu tenero facies quoq; viuere multos:
Sic amat ingenium Calliopea tuum.
Smynthea quòd videas Heliconiadasq; sorores
Cedere paulisper, non ratione caret.
Nostin' Iohannem Franciscum? pompa iugalis
Cantibus est illi iam celebranda nouis.
Quem veterem socium tu sic colis, vt colit ille
Perspectæ firmum fœdus amicitiæ.
Doctiloquos inter Vates, Medicosq; peritos,
Qui tenet excelsum primus honore locum.
Illius ad nutum se profert Cæsia Pallas,
Et Iuno præstans, ignipotensq; Venus.
Hæc vbi dixisset felix Aglaia verba,
In solitos mitem se tulit, ecce, choros.

Quare

Quare age, Iohannes Francisce, faueto Camœnis
Ex nostris ad te quas iuuat ire locis.
Et tibi cum facilis sua munera portet Apollo,
Excipias ipsum tu fac amore pari.
Sic tua perpetua florescent tempora lauro,
Et tua Cecropio nectare vena fluet.
Sic tua tabificos dispellet dextera morbos,
Sentiet atq; tuam quilibet æger opem.
Sic tua progenies longos se extendet in annos
Posteritasq; tuum nomen in astra feret.
Quod super est autem, tibi nostra insignia mitto
Mittere quæ nuper dextera pacta mea est.
Illa tuo si vis musæo pingier: ô ne
Stent inter rigidas, effice quæso, notas.
Mirandis etenim sua monstrant signa figuris
Qui generis iactant stemmata celsa sui.
Hi barros, & apros, & pardos, & crocodilos,
Et quæ terra fouet monstra cruenta, tenēt.
Illi Syrenas, delphinos, atque balænas,
Et quicquid Triton cernit amatq;, ferunt.
Nonnulli coruos, miluos, nisosq; feroces, (bent.
Quidquid & in liquidis nubibus errat, ha-
Non ea signa traho Vates, cui Musa perennis
Candida Castalijs pectora rorat aquis.
Qui niueū genibus librū premit aureus agnus,
Cæruleo in clypeo fulget imago mihi.
Quæ mea Iohannes Francisce, insignia cernens
Lene tuo socio pectus inesse puta.

Cynthius insurgit cantu Diuæq; iocosæ:
Cantantes audi, suauiter atque vale.

APOLLO.

SPlendida magnificis domib. templisq; Deorũ:
Arceq; turrigera, regumq; superba theatro:
Artibus & cultis claroq; decora Lycæo:
Diuitijsq; valens, æqua & virtute refulgens
Florigeræ seu vis perspectum Pacis honorem,
Seu dubium armisoni Martis lustrare rigorem:
Vrbs nitet, Eoa quà terra Selandia ripa
Abluitur pelago (vicina Amagæa videtur
Insula, suauiloquis etiam celebranda Camœnis,
Quæ tot habet lepores quot Athos notissimus
Quæ piscatura halecũ fœcunda, potensq; (olim:
Non habitatores proprios tantummodo ditat,
Verũ alios etiã venientes orbe remoto) (phis.
Vrbs (inquã) Clarijs quæ nõ malè cognita Nym
Haphnia dicta sacris est vatibus: et meritò her-
Præ Danorũ alijs fert vrbibus illa coronã (clè
Vtpotè cara Deo, Regi, Musisq;, virisq;,
Nec non & Veneri Venerisq; accepta puellis,
Iunoniq; Deæ, cui curæ Danica sceptra. (ille
Huc vbi Iohannes FRANCISCVS nobilis
Vates, & medica Doctor clarissimus arte,
Nec minus ætherei regni scrutator amicus,
Stellarumq; sagax lustrator & arbiter acer,
(Qui satus egregio Cimbrorũ sanguine, in vrbe
Ripæa

Ripæa, rigidis quæ non incognita Iutis
Oceanum spectat) venisset, cepit amari
A doctis iustisq́ viris. Quos blanda Thalia,
Quos decorat virtus, hos & fortuna nitescens
Pectoribus doctorum infert animisq́ piorum.
Nec minimos illi fautores fata dedêre,
Virum qui celebreis homines splendore corusco
Exuperant, proceresq́ alios virtute decenti
Præcedunt: qualis Rex es Friderice secunde,
Quem Deus euexit sublimis ad ardua regna
Non populi vnius: qualisq́ es magne Patrone
Doctorum Vatum, præclaro stemmate nate
Iohannes Frisi, qui diceris inclytus heros,
Heslagriæ sedis, quæ Musis aula dicata st
Virtutiq́ sacræ, & studijs pietatis amœnæ.
Sic homines doctos summo amplectuntur honore
Egregij Heroes. Quò quisq́ potentior extat
Quò melior, doctos tantò magis ille bonosq́
Adiuuat officijs dignis meritoq́ fauore.
Virgilium Augustus, Mecœnas pectore fido
Suscepit Flaccum. Fridericus tempore nostro
Augustus: sed tu Mecœnas optime Frisi.
Vestro etenim auxilio magni mandata tonantis,
Præsidio & vestro florescunt patria Iura,
Et pia Cecropiæ decorantur sceptra Mineruæ.
Vos datis Aonijs rutilantia dona ministris
Fortunæ ô Domini venerandæ, ô sortis amici
Æthereæ, per quos occasio ducitur alma.

Ordine

Ordine circumstant iusto, qui mente benigna
Iam vobis vestro grates pro munere soluunt,
Eximij Dani, docti Germani, & Iberi,
Et Galli, & Scoti, ac alij quos quælibet ora
Terrarum vobis offert aut obtulit antè:
Qui vano titulo non stantes floribus ornant
Vos nitidis, quos nec Boreas pernicibus alis
Dispellet, feruens neq; sicco Sirius ore
Fœdabit: sed quos virides per multa nepotes
Secula venturi mirabunturq; leguntq;.
Inter eos autem, quos vestra alit aurea virtus,
Iohannes Franciscus homo pius, atq; modestus,
Primus adest, per quẽ Danorũ Academia felix
Non medica tantùm potis est decorarier arte,
Artibus at multis alijs quas Dædala Pallas
E Iouis excelsi cerebro prognata, reclusit.
Conspicuũ cathedra, procerũq; fauore nitentẽ
Paruus amor telis hunc tandem fixit acutis.
Et meritò: Musas qui diligit, ille profectò
Pectore sub tenero tenerum quoq; pascet Amorẽ
Et licet in ter tres nil iuris habere feratur
Ille puer Diuas, Vates tamen ille frequenter
Vulnerat: Est Nemesis testis testisq; Corinna'st
Atq; aliæ centum, quibus auxiliantibus acer
Traxit amor Vates. ô regna potentia Amoris.
Quid sine amore valet? Diuis amor imperat (ipsis,
Imperat acer amor terræq; mariq;, poloq;.
Nec formidat opem medicam puer iste pusillus:
Audet

Audet enim in medicos primas armare ſagittas,
Ergò vir hic cinctus Lauro caput, atq; medendi
Arte potens, paruo victus ſuccumbit amori?
Sic eſt. Nam Mariæ ſimul vt gratiſſima vidit
Lumina, quam genitor Bagiorum ſtirpe creatus
Progenuit: Simul vt Maria illius ora modeſta
Aſpexit, quem Pallas amans ornauit: amicis
Ignibus incenſi flagrârunt ſuauiter ambo.
Per iuuenis nitidi dulces ſpiramina amores
Exiliêre piæ mulcentes pectora Nymphæ.
Ex oculis Nymphæ Veneres ſaliêre decentes
Quæ iuuenis culti rapuerunt candida corda.
Pacta fides: pompa eſt iamiã peragenda iugalis,
Conueniunt proceres, matronarumq; caterua,
Et iuuenes docti, viridiq; ætate puellæ.
Tympana mota tremunt, auditur tibia mollis,
Tædiferum pueri reſonant Hymenæa per vrbẽ.
Cætera Pierides, veſtro vos dicite cantu,
Et celebrate, Deæ caſtæ, connubia caſta.

CALLIOPE.

QVid magis gratum teneris Camœnis
Quàm Deo grates meritas referre?
Quàmq; ſponſales decorare blando
Carmine tædas?
Qui Dei laudes reſonare ſpernit,
Spernit aut leges thalami pudicas;
Hic pij non eſt hominis putandus
Nomine dignus.

Conin-

Coniuges Christus Patris ille summi
Vnicus gnatus bona vina præbens
Limpidi vena saliente fontis,
Mitis amauit.

Iamq; cœlesti residens theatro
Idem amat castos homines iuuatq;,
Et maritales thalamos frequenti
Munere ditat.

Ergò, Iohannes, venerande Sponse,
Te sacri Phœbi nitidæ puellæ,
Atq; te, sponsa ô Maria, eminenti
Voce sonamus:

Quòd Dei iussum ætherei sequentes
Nuptias suaues agitetis, atq;
Casta firmetis fidei decenter
Iura iugalis.

O Venus magnis benè grata Diuis,
Mentibus grata ô iuuenum torosum
Adfer huc cæston rutili beatum
Munus amoris.

Vinculum, Iuno pia, fer fauoris
Candidi pulchrum, Dea quæ nouellos
Per tuum numen, Ioue non proteruo,
Iungis amantes.

Pallas, ô Vatum speciosa fama,
Gorgonis vultu posito tremendæ,
Supplic sponsum decora atq; sponsam
Lenis oliua.

Sic Amor dulcis, placidusq; candor,
Paxq; præcellens animos duorum
Mutua flamma rapiet, feretq;
Sidera in alta.

CLIO.

CImbrorum genitus sanguine viuido
Iohannes (genitor quem venerabilis
Franciscus sapientum
Misit Pieridûm in scholam)
Riparum vrbs viridi quà pelago nitet
Vicina, & validis fulgida turribus,
Clara & laude virorum
Doctorum quibus est valens.
Cuius Grunditius pectora Cimbrius
Informans grauibus moribus, & bonis
Rebus, nomina digna
Prudens promeruit sibi.
Præclaros pueros, hic puer inclytus
Vicit mente pia, vicit & artibus
Tantùm, Parthicus heros
Quantùm præ reliquis volat.
Et sicut rutilans Hesperus aureas
Stellas egregio lumine suauiter
Vincit: vicit ita omnes
Ille hic moribus optimis.
Nec prauorum hominum molliciem sequens
Ignauam, patriæ languit in sinu,

Corbe

Corbe vt viminea quæ
Imbellis volucris, iacet.
Vidit Teutoniam, regnaq; Francica:
Et doctos homines audijt, & sibi
Fidos iunxit amicos
Et Phœbi famulos pij.
Illos dulcisonis carminibus frequens
Ornauit Latiæ fila mouens Lyræ,
Sicut Naso disertus,
Insignisq; Propertius.
Rimauit tacitas sedulus interim
Caussas rerum, & opus siderei Patris
Miratus speciosum
Addixit se medicæ rei.
Artis Pæoniæ Doctor amabilis
Factus, militiam nunc Paphiam probat,
Gaude cui decus illud
Contingit, Maria ô decens.

THALIA.

SPonsam, Sponse nitens, suscipe blandè
Vlnis molliculis, suauiter & foue.
Nam, te digna, pedes illa decentes
Infert, vt thalami fœdera sanciat
Tecum casta sacri. Digna Deorum
Lecto: Sed superi Dij tibi non negant
Hoc munus lepidum, dulce, iocosum,
Munus delicijs plenum & amoribus.

Quare quæ tibi Dij dant bona mites
Fac tu percipias, & Mariam tuam
Dilectam refoue, fidus & orna:
Hæc multi fuerit caussa tibi boni.
Coniunget faciles namq; propinquos
Qui te candidulo pectore diligent.
Gaudebit meritò stirps Bagiorum,
Coniux vnde sibi grande genus trahit,
Quòd tu suauiloqui doctus amicus
Phœbi, connubio iunxeris hanc tibi.
Et tu læticiam iure capesces
Quòd coniuncta tuo Sponsa sit hæc toro:
Quæ fulgens placidis moribus æquet
Castam Penelopen: quæ facie proba
Certans, Hesionem, Tyndaridemq;
Daphnen, & Danaën vicerit optimè.
Felicem reputo quippè maritum
Vxor cui bona, cui contigit & decens.
Nam virtus animi, formaq; præstans
Membrorum, Ambrosij munera sunt Dei:
Quæ si quis studio spreuerit, istum
Tu rectè reputes Arcadicum pecus.
En, qui iudicio mentis amœnæ
Firmatur, celebri qui genio valet:
Cordis magnanimi dote mouetur,
Nympharum ac rapitur corporeis bonis.
Vos porrò facilem ducite vitam,
Et præcepta Dei non malè temnite.

Sponsam

Sponſam, Sponſe, tuam dilige, & orna:
Sponſum, Sponſa, tuum diſce vererier.
Concordes animos, Chriſtus Iēſus
Rex Regum, ſtabili numine proteget.

EVTERPE.

QValis ſereno Iuppiter in polo
Summus coruſcat cum ſuperis ſedens:
Talis viros inter diſertos
Ingenio nitet hic Iohannes,
Sponſi venuſti nomen amabile
Qui conſecutus, connubij ſacri
Fœdus ferit cum gratioſa,
Teſte Deo, ſociale, ſponſa.
Aurora qualis cum reliquis noua
Stellis refulget gemmeo in æthere:
Talis pudicas fulget inter
Purpureo Maria ore Nymphas.
Sponſæ venuſtæ nomen amabile
Quæ nacta, blandè connubij ſacri
Fœdus ferit cum gratioſo,
Teſte Deo, ſociale, Sponſo.
Grates Tonanti dicite dicite
Sortem piorum temperat & regit
Qui coniugum. Doctos, pioſq́,
Certè, homines Deus haud relinquit.
Et dum ſonabunt organa Muſica,
Dum Gratiarum fiet amans chorus:

 Sancite

Sancite tædas has iugales
Vestra per optima vota, amici.
Aulæ Iohannes Heslagriæ decus,
Qui Frisiorum stemmate fulgido
Natus, pios Reges, Ducesq;
Regnaq; nostra iuuas potenter:
Grato Deorum consilio vigens
Qui pondus ingens alter Atlas geris:
Præsens in hoc cœtu frequenti
Gaudia præcipuè capesce.
Nam (quod putabis cœlicolis opus
Gratum beatis, ac homini vtile)
Hæc pacta earum nuptiarum
Te duce conciliata florent.
Viue ô Iohannes Frisiacæ decus
Stirps Camœnas per venerabiles
Auro decens splendensq; lauro,
Et tibi sit Venus alma mitis.

ERATO.

Ecce preces fudit diuinam sponsus ad aram,
Sponsaq; iam sua vota peregit.
Moreq; coniuncta' st consueto dextera dextræ,
Lexq; duos nunc detinet vna.
Angelicæ norunt fidei data iura phalanges,
Atq; hominum veneranda caterua.
Mystica perficiens reuerenter sacra Sacerdos
Coniugibus bona cuncta precatur.

Lætan-

Lætantur proceres præsentes, & rata fidi
Singula, voce animosq; requirunt.
Gaudia perspicuæ fœmellæ gaudia lætæ
Percipiunt quoq; pectore Nymphæ.
Et meritò: nam casta probat connubia Christus
Qui Patris est pia mens & imago
Christe, tuo quos tu coniungis numine, sanctæ
Turbæ hi dulcia gaudia præbent.
Tympana rauca sonant, sonitū dat tibia dulcis,
Nobile surgit carmen ad astra.
Vnanimes Diuûm nitidißima linquite templa:
Vos sponsi in solium vocat hora.
Ite viri, iuuenes, matronæ, atq; ite puellæ,
Et Sponsum & Sponsam comitantes.
Ingreßiq; domum vos mensis iungite onustis
Legitimus ceu postulat ordo.
Viscera vestra cibo, recreateq; pectora vino.
Isthæc munera nam Deus offert,
Qui genus humanum varia ratione iuuare
Consueuit Dominusq; Paterq;.
Dùm Cereris donum, Bacchi dùm munera sumis
Lusu etiam consurge decenti.
Alternis insiste iocis, nec fronte Catonem
Tu simula Curiúmue seuerum.
Tempus habet grauitas proprium speciosa, suūq;
Tempus habet Iocus atq; Lyæus.
Iuppiter ætherea non semper tetricus arce
Fulminat: interdum sua pascit.

Lumina sidereis radijs & nectare viuit,
Diuersoq; colore nitescit.
Sæpius Æthiopum lætus regione moratur
Indulgens dapibusq;, meroq;.

POLYMNIA.

VNdas vt fluuij suas retorquent
In fauces auidas freti profundi
Dum densum madido liquore cœlum
Effundit pluuias potentiores,
Feruens venaq; fontium resultat:
Voces pectora sic ferunt fluenteis
In cœtus hilareis domus patentis,
Bacchus dum sapido madens Falerno
Rore almo socios probos inundat,
Et mens viuida cogitationes
Insurgens agitat, rotat, vehitq;.
Quare Sponse decens, decensq; Sponsa
Mirari nimium studete nunquam
Quòd nunc lingua Latina quodq; Græca,
Quòdq; Hebræa fluat, fluatq; sermo
Danorum varius pijs amicis,
Ad pompam hanc coière qui vocati.
Verùm vos potius Deo benigno
Dantes pro meritis suis honorem
Casto læticiam fouete voto.
Nos hæc dum canimus Chely sonanti,
Vos ô vos, iuuenes, videte Nymphas

Quas

Quas offert Ericina blanda vobis
Mater purpureûm potens Amorum
Nympham quisq; suam petat decenter,
Et de more trahat leueis choræas.
Id nunc hora monet celer diei,
Alto & tibia spiritu repleta,
Et percußio rauca tympanorum,
Et pulsus citharæ sacræ sonorus.
Torpescens quis enim vadum lutosi
Stagni laudibus euehet? probamus
Molli murmure quod ruit fluentum,
Elatisq; parùm tumescit vndis.
At ne Sponse nitens, nitensq; Sponsa,
Soli non lepidos choros agatis,
Surgentes pedibus solum tenellis
Pulsate. En Hymenæus ille mitis
Insurgit facibus, sacrisq; tædis,
Vos & præ reliquis facit coruscos.

MELPOMENE.

SPonse, beata Cypris
Cui Dionæa tetigit tempora flaua myrto:
Sponsa, Cupido mollis
Cuius à vultu rutilo luminibusq; claris
Aureolas sagittas
Feruidas reddit, quoties pectora docta
Vulnere gratioso (Sponsi
Stringet: ô finē facite his molliculis choræis,

 Et re-

Et requiem parumper
Ferte. nam alterna requie quod caret, id ca-
Pocula plena vini (ducum' st.
Spumei vobis capite, et corda rigate vestra.
Ac citharæ canoræ
Carmē insurgens placidè, suscipite aure pura
Vos & amœna vestris
Quæ viri docti referunt per Charitum fauo-
Pectoribus benigni (rem
Verba (nam verbis lepidis quid melius?)
Sed pie Sponse, mæstus (probate.
Tun' sedes? quid? num gemitus pectore
Tu trahis inuidendos? (tàm profundo
An graues & tu lachrymas fundere, Spon-
Scilicet hora longa (sa, tentas?
Ducitur vobis. Benè habet: tempus adest
Tempus adest beatum, (iocosum,
Tempus aduenit celebri carmine Gratiarū
Castalidûmq; dignum,
Quo Venus nullū potuit commodius decora
Ferre suis ministris.
Sic Deus iustos homines magnanimus gu-
Sponse benigne, surge: (bernat.
Surge cum Sponso nitido peruenerande
Monstra, Hymenæe, flammas (Sponsa.
Nobilis monstra rutilas, ô Hymenæe flam-
Nox ea dante Christo (mas.
Sponsulā Sponso socians candidulā vigenti
Efficiet

Efficiet moretur
Vna mens ſemper reſidens corporibus duo-
Tu modò, Sponſe, lude : *(bus*
Lude cum Sponſa facili delicioſa Sponſa.

TERPSICHORE.

QVi ſpacioſo
Lucida ſueuit
Lumina lætus
Fundere cœlo :
Iam ſpecioſam
Subtrahit orbi
Feſſus eundo
Lampada Titan.
Et caput effert
Nobile nigræ
Noctis amicus
Heſperus index.
Occupat autem
Maxima terræ
Regna patentis
Labilis vmbra.
Nocte ſub iſta
Ne tibi deſis,
N'eue deinceps,
Sponſe, labora.
Quæ Deus vltrò
Munera donat,

Hæc

Hæc tibi grato
Suscipe corde.
En, melius nil
Coniuge fida.
Illa corusco est
Carior auro.
Quare age te iam
Iungito sponsæ,
Sponse, nouellæ:
Atque tuo te
Subdito Sponso
Sponsa pudica.
Basia blanda
Carpite, quodq́;
Iure sequetur.
Cœlica sic vos
Gratia læto
Flamine cinget.

VRANIE.

LVde ô Sponse piissime,
Ludentemq́; iuua Sponsa venustula:
Et certate fauoribus
Dignis, & lepidis viuite Amoribus.
Cingant perpetuo choro
Hunc vestrum Charites prænitidæ torum.
Et concordia myrrheis
Has ædes repleat mitis odoribus:

Ornet

Ornet vos Deus optimus
Gazis Attalicis, robore corporis:
Vos & reddat amabiles
Regi, nobilibus, Vatibus Entheis.
Increscatq; nouis genus
Vestrum pignoribus, quæ celebrent Deum,
Quæ vobis genitoribus
Præstent obsequium, præsidium, decus.
Tùm demùm egregij senes
Exemplo teneris este Nepotibus.
Exemplo este pia omnibus
Vita coniugibus, gentibus omnibus.
Tàm tellus, freta, sidera,
Quàm quicquid refouet terra, salum, polus,
Vobis auxilium ferat
Aduersus Stygiæ sceptra tyrannidis.
Hæc vobis tribui petunt
Musæ laurigeræ, Phœbus & aureus:
Vobis hæc etiam dari
Exoptant socij quēis pietas placet.
Vos Hemmingius optimus,
Vos & lætus honos Thespiadū decens,
Vos Cnopperus amans Dei,
Vos & Sascerides laus Latiæ Lyræ,
Vos & multi alij colunt
Pro vobisq; rogant munificum Deum:
Fortunamq; simul petunt
Vestram pacifico numine dirigi.

Quod

Quod Musæ faciles volunt,
Quod docti cupiunt, hoc Deus approbat,
Ergò ludite, ludite :
Nos Nymphæ Aonides claudimus hunc torum.

Simpliciter virtutis amore.



IOHANNIS GEORGII SADOLINI VIBERGII Fasciculus Apollinaris.



IOH. GEORG. SADOL. VIBERGIVS D. IOHANNI FRANCISCO RIPENSI, nobili Poetæ, & Medicinæ Doctori salutem.



PITHALAMIO, QVÓD tibi D. Iohannes Francisce descripsi, iam finito, atq; vtinam ita ad amußim elaborato, visum est paucula quædam carmina adiungere, quæ si tibi aliisue non honori, certè quidem voluptati forent. Id enim iamdudum perspexi, meos lusus doctißimis quibuslibet nō ingratos, nec omninò iniucundos fuisse: quæ res mihi incitamento erat, vt adolescens, & deinde ætate florenti, plurima scribendo congererem. Cæterùm cùm Poëmatum meorum libros euoluerem, nihil deprehendi quod ab illis commodè,

citra

citra voluminum mutilationem, distraherem. Enimuero opera mea Musica in libros Elementorum Christianæ religionis, Hymnorum, Syluarum, Distichorum, Amorum, Odarum, Regum Danicorum distinxeram: quæ omnia sic digesta sunt, vt lucem propediem, Deo fauente, sint appetitura. Neq; enim, vt illa, à se inuicem, opera diuellerentur, permittere volui, non quòd ea quæ ingenio meo in rebus melioribus perfecta sunt, tibi negarem, qui longè preciosiora, quàm mea sunt, dona mereris: Sed vt illas meas lucubrationes tibi pariter ac alijs bonis hominibus integras et intemeratas conseruarem. Tunc schedarum mearum nescio quem aceruum perlustranti sese mihi in manus ingeßit fasciculus quidam perpaucorum carminum, quæ nondum in vllum ordinem, sicut alia mea Poëmata, reduxeram. Hunc ego cùm dissoluerem, examinarem, recognoscerem, vtilia nonnulla in eo reperi, vnde libellum formari posse iudicaui te nō prorsus indignum, qui talibus materijs multum delecteris. Nouum autem carmen vnum, atq; alterum, Apolline non renuente, adieci: & titulum, quem sors obtulit, seruaui, neq; elegantiorem effingere curaui. Nam & noster ille Ioh. Oecolampadius, Theologorū vera lucerna, Græcanicis suis rudimentis Dragmatum appellationem indidit, eò quòd illa præcepta quasi in manipulos (agnoscis hoc medicum verbum) &

fasci-

fasciculos collecta viderentur. Euentus fecit vt cuilibet carmini nomen meum adderem. Singulis enim suum carmen pagellis, quæ conscissæ, & propterea circumducto filo colligatæ, iacuerunt, inscripseram: totiesq́ nomen addideram, vt si fortè nodus ligaturæ dissolueretur, foliaq́ spargerentur, ex adiecto nomine famulus carmina mea agnosceret, agnita inscriberet, nec pro meis aliena libellis meis insereret Equidem sæpè fit, vt amicorum, quorũ apud me scripta reperiuntur, manus meæ nõ dißimilis appareat, & difficulter ab incauto adolescente distantia animaduertatur. Cùm verò in vnum, quem cernis, librum, omnes eas pagellas redigerem, non magnopere referre existimaui, si, vt scriptum erat frequenter nomen, sic etiam annotatum in posterum legeretur. Id si cuiquam tædiosum arbitreris, obstaculũ transuerso calamo, prius quàm librario hoc scriptum committatur, tollere potes. Verùm bonis & doctis tuum nomen (inquis) gratum est: neq; enim quid improbi garriant, quid à Musis alieni Bucephali hinniant, quid obscœni porci gruniant, qui altiori animo præditi sumus anxiè inquiramus. Rectè meherclè, & valde sapienter tu, Iohannes Francisce, iudicas: neq; enim tàm ineptus sum ego, vt fasces mearum Musarum istorum censuræ submittere velim, quibus elegantiores literæ non modò sordent, sed &, ô insaniam, ludibrio sunt. Itaq;

C quod

quod à nobis scriptum est, nolente volente æmulo, legitor: imò & hac in parte immutabilia Musarum consilia & decreta S. P. Q. Poëtico approbante, stanto: nec, vt à quoquam imperito hæc constituta rescindantur, permissa sunto. At hac lege exempti estote, ô docti & sapientes viri, qui, quid vtile? iucundum? discernere potestis. Proinde tibi D. Iohannes Francisce, & omnibus illis quos tu amas, & qui tibi fauent, hos lusus dicatos volo, vt eo argumento apud posteros testatum sit, quanta inter nos familiaritas fuerit, existat, et futura sit, nõ tantùm quoad in hac mortali vita luce fruemur, verùm etiã in æterna illa societate, qua immortales bonorum animi decorabuntur, cum Christo Domino gaudium sentiemus. Vale cum vxore & familia. Amicos salutari cupio D. Lagonem & Othonem eruditißimos ex Brochenhusiorum nobili progenie homines, & item alios quibus nosti nostra studia in delicijs esse. Salutant vos omnes D. Georgius Christiernus consanguineus meus, & D. Petrus Conradus, meus vicinus vir ingenio & humanitate præstantißimus. Reliquos adderem, sed dandus est modus Epistolæ. Nunc carmina adiungam. Et quia Musarum auspicio hoc opus suscepi, eas primùm placabo.

Ad

AD MVSAS. IOH. GEORGIVS.

MVsæ progenies Iouis,
Quæ Vates facitis bonos
Vltrò iungite vos mihi
Vt doctis placeam viris.
Nam vestro sine numine
Quis cultam citharam premet?
Et vestro sine flamine
Quis doctè potis est loqui?
Si fiam sapientior,
Vates siq; celebrior,
Ornabo patriam piam
Vestrum sæpè canens decus.

IN NATALEM DOMINI nostri IESV CHRISTI Ioh. Georgius.

ANnua lux rediit qua summi Patris imago
Christus ab intacta virgine natus homo (est.
Ille dies celebris toto cantabitur orbe
Donec erunt homines, donec & alma Fides.
Ille fuit Patribus, iustis fuit ille Prophetis
Optatus, Dominum qui coluêre, dies.
O nitidum tempus, gaza preciosius omni,
Humano generi quàm bona multa vehis.
Tu nox, ô sacra nox, lepidi ô nox conscia partus,
Auricomo dignum lumine nomen habes.

Cœlica te meritò decorârunt gaudia, teq;
Lustrauit pietas perueneranda Dei.
Te monstrante nouos radios, nox blanda, phalan-
Angelicæ rutilis enituêre comis. (ges
Tunc data pax homini misero de sedibus altis:
Tunc Stygij primùm spicula fracta Ducis.
Ecce, etenim Christum pura iam virgine natum
Pastores docuit flammea turba rudes.
Non humiles spreuit personas dia caterua,
Pauperibus se sic inserit ipse Deus.
Pastores igitur hac mansuetudine ducti
Pectoribus condunt nuncia sana suis.
Sic Fidei testes, sic Relligionis amicos
Omnipotens Dominus multiplicare solet.
Sic manifesta Deus sua reddit dogmata, ne quis
Natalem ignoret, maxime Christe, tuum.
O Patris æterni bonitas qui misit Olympo
Sidereos, moneant qui pia corda, choros.
Angelus vt Mariã grauidã fore flamine san-
Prædixit, nomen cui Gabrielis erat: (cto
Sic quoq; descendens conuexi è vertice cœli
Iam genitum asseruit turba corusca Deum.
Quæ tibi nunc mens est? tibi quæ demẽtia curæ
Impie? quid spernis munera tanta Dei?
En per flammigeros sapientia celsa ministros
Prodita non potis est luce carere sua.
Quippe Prophetarũ iam nõ ænigmata claudunt,
De Christi aduentu quod sonuêre Patres.
Ange-

Angelicus cantus, pastorum sermo, locusq́,
  Et virgo pariens monstrat adesse Deum.
Cur non venerunt testes, quos maximus orbis
  Diuitijs claros ingenioq́ putat?
Hos quoq; quid Christi natali haud iußit adesse
  Hic, qui pastores iußit adesse rudes?
Scilicet vt cuncti moneamur abesse decere
  E vera fastum relligione grauem.
Ipse Deus mitis mens est, oditq́ superbos:
  Elatosq́ animos non amat ille puer.
Hic non splendor adest pomposus, at omnia nato
  Tenuia: sed tenuis res quoq; clara nitet.
Nox erat, at noctem decorauit cœlica flamma,
  Et puerilis honos, virgineumq́ decus.
Parua domus, quam nõ ornauit magna supellex,
  Qua nasci voluit filius ille Dei:
Nõ erat hic candens byssus, nõ purpura fulgens:
  Incinxit puerum veste puella leui.
Hæc genitrix, hæc & nutrix, hæc fida ministra
  Vlnis suscepit pignora sancta suis.
Læta salutifero dedit oscula plurima gnato,
  Et tenero flatum traxit ab ore sacrum.
Non dolor hanc vllus parientem preßit, opinor,
  Vtpote quam iuuit Spiritus ille Dei.
Quã quoq; non læsit Veneris perblanda voluptas
  Huic enitenti non cruciatus erat.
Adde quòd & veluti maturus fructus Iēsus
  Prodijt in lucem sponte suapte, puer.

Salue sancte puer, puer acceptissime salue:
Tu Rex Occasus, Rex Orientis eris.
Tu Deus es fortis, venturiq; arbiter æui
Perpetuæ Princeps tu quoq; pacis ades.
Virgine tu natus, Patris ô nitidissime sermo,
Ad decus humani nominis, ecce, venis.
Te duce parta pijs est gratia, te quoq; Rege
Limina sublimis sunt reserata poli. (claro
Christe homo, Christe Deus nos numine protege
Qui sumus auxilio turba redempta tuo.
Sic tua laudabit cœlum, tellusq;, fretumq;
Nomina: teq; Deum cuncta creata colent:
Natalemq; tuum læti celebrabimus omnes:
Imperio & dedent se pia corda tuo.

Dedicatum sacrumq; Seruatori.

NORMA VITÆ CHRISTIAnæ. Iohan. Georgius.

DIlige, sperne, time, fratrẽ, peccata, Tonantem,
Iusto, acri, stabili, pectore, mente, fide.

IN NATALEM POTENTISsimi Danorum, Noruegicorum, Gottorum & Vandalorum &c. Regis D. Friderici secundi, Ad D. Ioh. Francis:
Ioh. Georgius.

IVlias lux hæc reuehit Calendas,
Lux pijs semper celebranda Musis,

Donec

Donec aut arcu aut cithara nitebit
Phœbus Apollo.
Danicæ gentis Fridericus ille
Rex, aui nomen referens honestum
Editus luce hac, pariente matre,
Venit in auras.
Floribus Vatem decorate vestrum
Gratiæ cultæ Aonijs: choræas
Hoc die nam continuabo gratas,
Plectraq; tangam.
Thuraq; incendam placidus Sabæa,
Et graues curas cyathis leuabo
Dulcibus, lususq; ciebo, doctos
Inter amicos.
Fac dies festus redeat quotannis
Lætior: Regemq; bonum tuêre
Christe, qui regnas Deus, ô parentis
Mitis imago.
Iane Francisce, hanc resonato lucem
Qua pius Rex est genitus: tibi nam
Dant suos flores Charites, suumq;
Pallas honorem.

DE CORONATIONE D. FRIderici secundi Regis D. Ioh. Georgius.

GAudio exultet Borealis orbis
Quem fouet doctas agitans choræas
Balthicus Nereus, lepideq; ludens
Cimbrica Tethys:

Quà sacræ Nymphæ viridesq; Diuæ
Molliter rident, placidoq; saltu
Suscitant sese, tenuiq; lætæ
Murmure surgunt.

Regium pura diadema fronte,
Aureum sceptrum manibus decoris
Lucidam & sphæram, generosa signa,
Fert Fridericus.

Filius Regis pia Christiani
Facta qui Rex ipse coruscus vrget
Et toga clarus facili, seueris
Clarus & armis.

Christe, qui Reges regis vsq; celsos
Rex potens, Regem hunc, rogo, fac nitere
Viribus membrorum, animiq; iusto
Robore culti.

Sic tuus seruus tua personabo
Nomina, in summo residens theatro
Qui poli puri Deus, omniumq;
Rector & altor.

DIVO CHRISTIANO
III. Regi. D.

EN, Christianus Tertius
Rex Daniæ, Noruegiæ,
Et Vandalorum, & Gottiæ,
Holsatiæ, Ditmarsiæ,
Princepsq; gentium bonus

Complus

Complurium, depostus hoc
Iacet sepulchro, quod sacræ
Custodiunt Musæ: quod &
Ornat minerua florida:
Quas ipse viuus Regio
Ornauit olim munere.
Viator, illustrißimi
Regis decus clarißimum
Famamq́; nobilißimam
Honora: & hinc cedens, vale.

Regi & Domino suo consecrabat Ioh. Georgius Sadolinus Vibergius.

DE FRIDERICO
II. Rege D

FRōte, Paris; lingua, Nestor; sed pectore Vlysses:
Robore, Pelides Rex Fridericus adest.
O Musæ, ô Charites, Regem seruate vigentem
Qui patre defuncto Danica sceptra tenet.

TABVLA REGIA REGIS
Solomonis, Ex VI. Sapi. Versibus traducta. Ioh. Georgius.

AVrea præualidas superat sapientia vires:
Cōsilioq́; valens melior quā robore pollens.
Quare agite, ô Reges, qui Mundi frena tenetis,
Qui regitis terræ fines populosq́; feroces,
Dogmata suscipite hæc, animisq́; infigite vestris.

Nam datur à Domino ſublimi cuncta poteſtas.
Veſtra is facta notat, ſecretaq; pectoris imi
Pandet, diuinis oculis qui ſingula luſtrat.
Quandò miniſterio vos hic præfecerat orbis
Iuſticiæ ad normam nitidæ non iura dediſtis,
Nec Domini legem curaſtis conſiliumq́.
Vos igitur ſummus Rex caſtigabit acerbè.
Namq́; Deus proceres rigidus pulſabit iniquos,
Monſtrabitq́; illis durus diuina flagella.
Plebeios homines venia dignabitur ille:
In tranſgreſſores Reges ſe proferet hoſtem.
Non equidem Dominus perſonam reſpicit vllã,
Non metuit quenquam, timida formidine liber.
Ipſe humilem fecit ſolus, fecitq́; potentem:
Atq; æquo ſtudio nunc hunc, nunc curat & illũ:
Verùm præcipuè procerum Deus aſpicit acta.
Pandite propterea, Reges ô lumina mentis
Quæq́; ſit excellens Sapientia diſcite cuncti.
Hæc præclara equidem marceſcet tempore nullo,
Quam quicunq; colit ſit pectore lynceus ille,
Ille Deam inueniet prudensq́; probusq́; piusq́,
Hancq́; amplectetur Nymphã diuinus amator.
Hæc offert vltrò ſeſe vltrò præbet amanti,
Et matutini placida ſub temporis hora
Hanc quisquis quærit ſtudioſo pectore, Diuam
Inueniet præſens in prima limine ſtantem
Atq; ſuis myſtis bona plurima diffundentem.
Hanc quicunq; animo verſat, perfectus abibit
Et Sa-

Et Sophia nitidus Princeps cantabitur ille:
Et securus erit, vigilans qui suscipit illam.
Illa etenim dignos se quærit vbiq, & vbiq,
Occurritq, bonis, virtus quos suscitat ingens,
Hisq́, viam ostendit sacra ad penetralia Diuûm
En, sapientiæ opus doctrinam adamare decentẽ:
Curaq́, doctrinæ est leges seruare verendas:
At leges seruare bonas est vita perennis:
Mortales demùm hæc similes facit esse Deorum.
Vndè patet verum sanctæ Sapientiæ amorem
Ducere splendorem ad regni virtutis alumnos.
Quare si solium, si regna probabitis, ô vos
Magnanimi Reges, Diuam sapientiam amate.
Imperium vobis diuturnum sic Deus addet,
Seclaq́, producent vestri numerosa Nepotes.

DE VICTORIA DOMINI nostri IESV CHRISTI.

Ioh. Georgius.

IAm corde puro Ecclesia
Syncera prode gaudia.
Sonet polus, tellus, fretum
Summi Parentis filium.
Peccata, Mortem, Tartara
Virtute vicit propria.
Rex Christus & verax homo,
Rex Christus & verax Deus.

Cæle-

Cœlestis aula panditur
Cunctis Dei fidelibus.
Per filium illustrat pios
Pater corusco lumine.
Honor parenti cœlico,
Honorq; miti Filio
Honor sacro sit Flamini,
Vni Deo, ter maximo.

Dedicatum sacrumq; seruatori.

DE IMPERIO POTENTISsimi Regis D. Friderici Secundi,

Iohan. Georgius.

QVæ monte claro, doctiloquæ Iouis
Gnatæ, potentis munera sumitis
Diuina Phœbi gloriosi,
Vnanimes precor huc venite:
Vultusq; lætos, lætaq; pectora
Monstrate: quin & carmen amabile
Proferte quod cœlum, solumq;
Mulceat, vndisonosq; fluctus.
Nam Christiani Regis amabilis
(Quem nunc tulerunt fata tenacia)
Iustiq; gnatus, Rex creatus
Sceptra gerit Fridericus aurea.
Ah quis dolores pectore tabido
Prodet? quis acri mœsticiam trahet

Corde

Corde? hinc dolor durus facessat,
Lux ea lætitiam requirit.
Lux quæ coronam detulit inclytam
Tàm candido, tàm magnanimo duci:
Lux quæ Ducem hunc Regem notauit,
Et moderamen ei dicauit.
Ciues benigni gaudia promite,
Vatesq; culti iubila fundite:
Lætetur & tellus, polusq;,
Et freta se exhilarent profunda.
Aras Dei iam condecorarier,
Et grata Bacchi pocula nobilis
Libarier iam tempus vrget:
Vrget & hoc Deus ille summus.
Qui gratioso lumine splendidus
Iustos tuetur, qui reprobos minis
Hostilibus feruens retundit
Iustitiæ memor vsq; sanctæ·
Qui Regis huius pectora suauiter
Sano gubernat numine Rex potens.
En, quos Deus Rex derelinquit,
His neq; sunt diuturna regna.
Quid? dùm cano, me cœlicus impetus
De Rege nostro vaticinarier
Cogit. mihi quæ dictitantur
Tu rata cuncta, Deus, iubeto.
Rex noster ille hic pectore feruidus,
Et veritate & iusticia nitens,

Pro

Pro legibus sacris labores
Et gregibus rigidos subibit.
Hic sceptra latum porriget in mare:
Terrisq; multis cognitus efferet
Palmam vigentem: Cæsarumq;
Magnificentia ei fauebit.
Hic clarus inter præcipuos viros,
Cœtu vt Deorum Iuppiter optimus,
Et Laureum donum aureumq;
Aonijs tribuet ministris.
Nam per labores Pierij chori
Laudabitur: tùm carminibus sacris
Tædæ illius magnum nitorem
Accipient, decus & perenne.
Transacta vitæ secula post suæ
Cœlum capescet, quà residet pater
Cum filio, Flatuq; sancto.
Cui Deus, hic animo Tonanti est.
O vota, Vates, fundite fundite,
Deumq; summum flectite flectite,
Vt mitis hunc Regem gubernet,
Regnaq; Danica semper ornet.

DE OLORE REGIS DANIÆ
Ad D. Iohan. Franciscum R.
Ioh. Georgius.

EXimiū decorant Regem sacra carmina vatū:
Vatibus Aonijs Rex bonus ipse fauet.

Nomina

Nomina dant Vates: laurũ Rex donat & aurũ.
Sic Rex, sic Vates munera digna ferunt.
Edocet hoc nitido vinctus diademate Cygnus
Danorum Regi qui benè iunctus adest.

DE OBITV SANCTIS: REGIS
Diui CHRISTIANI Tertij, ad filiam eius
D. ANNAM, nuptam S. Duci Electori, D. Augusto.
Ioh. Georgius.

O Christiani Daniadum pij
Gnata, Anna, Regis: Principis ô probi
Præclara coniunx, Principumq́
Mater amabilis optimorum:
Quid fata luges tristis & impotens
Cari parentis? Dania quem dolet
Amissum herum, fidumq́ Regem,
Palladis & nitidæ patronum.
Finem proteruis pone doloribus:
Absterge bellis has lacrymas genis:
Grates Deo iustas corusco
Solue: pium exhilara maritum.
Rex Christianus nobilis & potens,
Quem tu parentem diligis vnicum,
Regnum relinquens hoc caducum
Regna Dei pius occupauit.
Nunc ergò Christi lumina fulgida
Cernit beatus, dulceq́ cœlitum

Agmen

Agmen videt lætus: nec orbis
Sceptra dehinc sibi postularet.
Hac lachrymarum valle quid est boni?
Hæc regna Mundi quidue suis ferunt
Lucri ministris? post labores
Nónne graues, precor, hinc eundum 'st?
Regno nitentis qui fruitur Dei,
Huic nec nocebit Tartareus furor:
Hunc nec prement hostes maligni
Quos sociat sibi Mundus iste.
Tu Christe, gratis qui tribuis probis
Cæleste regnum, quiq; bonos vehis
Fama perenni, nos guberna
Vt placeant tibi corda nostra.

DE STVDIO VERBI DEI,
Ala: Ioh. Georgius.

NOs licet aspiciat lepido Rhamnusia vultu,
Perpetuam vitam non tamen illa dabit.
Nam certe simul ac horrida mors venit
Quæ premet Reges miserosq; seruos,
Cedet vita leuis velut
Puluis & vmbra.
Si tamen vllum
Illustrem probitas facit
Et patris verbum placidum supremi,
Multas diuitias hic sibi colliget,
Colliget & nomen perpetuumq; decus
Sedibus in superis vbi erit longissima vita.

Preca-

PRECATIVNCVLA EX dicto Iosaph: Ad exemplum D. Ioach: Camerarij.

DVm pater alme
Pectoris alti
Luce carentes
Subdita multis
Turba periclis
Vsque vagamur:
Tollimus ad te
Maxime rerum,
Cordis ocellos,
Præsidiumq;
Mente fideli
Poscimus abs te.
Consilijs tu
Pectora sanis
Nostra guberna,
Vt tibi laudes,
Vota, precesq;
Sæpe canamus.

Deo opt: max: dedicabat Ioh. Georgius Sadolinus Vibergius pro læto rerũ successu.

AD D. NICOLAVM HEMmingium, pro editis ab eo doctis & vtilibus in Philosophia & Theologia Monumentis. Ioh. Georgius.

GRatias nostri tibi sempiternas,
Doctor Hemmingi, referent Nepotes,

Qui tuis scriptis decoras iuuasq;
Danica regna.
Quod facis, doctè facis atq; sanctè:
Tu doces rectè iuuenes senesq;:
Te vigent Musæ duce, & alta summi
Dogmata Patris.
Artibus clarus nitidis, refulgens
Triplici lingua, patriaq; voce
Fulgidus cunctos homines beato
Nectare pascis.
More dum fundis Latio diserta
Verba, sublimem video repentè
Tullium, quo non decus est Latina
Maius in arce.
Cùm modos Graios cupis æmulari
Inclytum voluens studium Mineruæ,
Cerno Smyrmæum rutilo coruscum
Flamine vatem.
Plectra Iessæi quoties Poëtæ
Tangis Hebræos numeros adornans,
Audio sancta toties canentem
Voce Prophetam.
Auribus ducisq; rudem cateruam
Danico sermone loquens: ab ore
Sic tuo pendent homines agrestes,
Doctaq; corda.
O caput gratum, decus ô virorum,
O Dei magni generose alumne,
Patriam vt porrò decores iuuesq;,
Viue beatè.

Tabula

TABVLA MORALIS CATONIS, metro latino exposita,

Iohan: Georgius.

QVãdo ego nõ paucos homines errare viderẽ,
Virtutisq; sacræ non veram carpere callem,
Consilio miseris volui succurrere sano,
Laudandã vt possent vitam traducere, nec non
Ad summũ faustis auibus consurgere honorem.
Quocircà præcepta tibi, puer optime, tradam,
Vt placidis animi poßis cõponere mores. (quid
Tu lege: nec tantùm lege: verùm intellige quic-
Ipse docebo boni: quia qui legit, ille profectò
Negligit hoc ipsum quod non intelligit ipse.
Corde igitur toto summũ venerare Tonãtem,
In lucem qui te genuêre parentibus omnem
Præsta non studio prauo deceptus honorem.
Dilige cognatos, doctumq; verere magistrum:
Quæ commissa tuæ fidei sunt, sedulus vsq;
Conserua, cuiquam ne sis malè fidus amico.
Artibus his tenerum pectus formare labora,
Quæ patriæ possunt populoq; adferre salutem.
Viue probis iunctus, prauorum despice cœtum.
Ne prius ad litem propera quàm ritè voceris.
Fac ne sordescas, at mundus in omnibus vt sis.
Impartire libens non ficto corde salutem.
Si minor es, prudens homini concede potenti:
Si maior, socium miti cole mente minorem.
Rem tibi custodi, ne fias forsan egenus.
Admonitus castos, & sanos indue mores:
Si natura deest, fac curæ dona sequare.

Doctus vt euadas doctos euoluito libros:
Quæ sunt lecta tibi, memori tu mente locato.
Non aliena petes: curato domestica tantùm.
Vtere congressu facili, lingua vtere miti.
Morosus ne sis, neq; iurgia necte nefanda.
Effugias quenquam naso suspendere adunco.
Sis largus, verùm sapienter prospice cui des.
Iudicio tete, nec non tutare sodales.
Conuiuas & rarò voca, & sis rarò vocatus.
Noctem da somno, lux est tribuenda labori.
Quod benè iuraris tu perfice mente fideli.
Ne nimio Baccho genij prosterne vigorem.
Pro patria pugna, patriam defendere iustũ'st.
Ne temerè credas, multi mendacia dicunt.
Nitere consilio proprio si te benè noris.
Militiam Veneris fuge, Palladis arma capesce.
Mendacem rigidis linguam constringe lupatis.
Vince bonos meritis, pereũt quæ das bona prauis.
In vitam alterius conuitia fundere noli.
Effice ne pereat tibi nomen, fama, decusq;.
Iudicium ad normam pietatis ferre studeto.
Vincito dilectos patienti corde parentes.
Esto memor, quisquã tibi cùm benefecit amicus.
Rebus vt assuescas, prætoria celsa frequenta.
Fac animum decoret veneranda scientia legum.
Vtere virtute eximia, non vtere fraude.
Iram etiam iustam rectè moderier opto.
Sperne malos lusus, & honestos quære labores.
Non modò quod poteris, quod fas est sedulus
vrge.

Si bo-

Si bonus es, præ te socium ne sperne minorem.
Non aliena petes, propria tu viuito sorte.
Diligito vxorem sociam vitæq; necisq;.
Et pietate tuos atq; artibus imbue gnatos.
Quam tuleris legem, patitor: nec subtrahe tete.
Dùm conuiua sedes, lingua parcissimus esto.
Iusticiæ ad methodum vestigia dirige vitæ.
Cuiusuis hominis ferto prudenter amorem.

DE REGE DANIÆ, AD PICtores. Iohan. Georgius.

IVsticiā quisquis potis est cognoscere sanctam
Hic Regem nostrum pingere ritè potest.
Tollito iusticiam, Rex est sublatus: at illam
Da Regi, Rex est par in honore Dijs.

LAVDES DANIÆ. Ioh. Georgius.

O decus Phœbi rutilans micantis
Grata testudo, resonato carmen
Daniæ laudes referens pijq;
Regis honorem.
Este vos nobis faciles Camœnæ
Quarum opem implorant lepidi Poëtæ
Quos iuuat blandæ citharæ sonora
Tangere plectra.
Regiam terram celebrate mecum
Regiæ Nymphæ, pius ecce Rex est
Iuppiter qui vos docet, atq; mandat
Dicere laudes.

Danicus Rex est pius & benignus,
Qui solet vestrum decus atq; nomen
Prosequi candore bono piæq;
Mentis amore.
O solum sanctum, lepidum, venustum
Quam tibi laudem tribuent canentes?
Tu tuo verè superas nitore
Plurima regna.
Gentibus si quid dabimus vetustis
Fama præcellens decorabit almam
Daniam, qua stirps Iapeti occupauit
Germine nata.
Hic pater nostris populis putatur,
Docta ceu tradunt monumenta Vatum,
Cui Semum Chamumq; ferunt eodem
Sanguine ductos.
Sceptra qui primùm tenuit superba
Dan pio regnum studio gubernans
De suo regnum voluit beatum
Nomine dici.
Hunc virum Reges alij sequuntur
Quos simul si iam cuperem referre
Protinus grandi rueret fatiscens
Musa labore.
Dania ô felix, nimis ô beata es
Dùm tui Reges, Comites, Ducesq;
Obtinent pomum, gladium, atq; sceptrum,
Atq; coronam.
Quid tibi maius poteris precari?
Quid tibi maius Deus addet, oro,

Quàm

Quàm probum Regem, pietatis atq;
Pacis amantem?

Cernite ô regnum populi, monente
Me, exteri noſtrum: facilemq́; mentem
Ciuium & mores, pia ſubditorum
Facta videte.

Subditi viuunt pietate clari.
Regna conſeruat Deus atq; adornat
Legibus ſanctis, decoratq́; ſceptra
Danica Chriſtus.

Incolas concors animus fauore
Optimo iungit, reſonantq́; ſancta
In pio cœtu ſtabiles Tonantis
Dogmata gentes.

Pax viget: floret veneranda Pallas:
Aſpicit doctos iuuenes Apollo:
Danicas ornat Cypris atq; diues
Iuno puellas.

Templa ſeruantur: decorantur arces:
Vrbibus ſplendor datur & theatris:
Munit & tantum decus, Angelorum
Flammea turba.

Nunc & excellens Fridericus ille
Danicus Rex, nomine qui Secundus
Hoc viget, fauſtis auibus nitentem
Conſtruit vrbem:

Quæ trahit nomen Friderico ab ipſo
Nobile, & nullo periturum in æuo,
Ni ſacræ Muſæ, niſi longa Phœbi
Fama peribit.

Quid, quòd his terris habitant libenter
Teutones docti, celebresq́ Galli,
Et pij Scoti, populiq́ nati
Orbe remoto?
Si mali mores, mala mens & esset
Danicæ genti: fugerent profectò
Hinc bonarum tot, puto, nationum
Candida corda.
Præter hæc, fructu vario nitescunt
Hortuli & syluæ, varioq́ flore,
Adferunt nobis quoq́ grata nostri
Munera campi.
Fructum agri reddunt copiosum amœni:
Dat fretum pisces & opes decentes
Nauibus vectas, nec enim 'st tàm abundans
Thracius Hebrus.
Aëris virtus nimium probatur
Vatibus doctis, quibus est suëtum
Gratijs iunctas nitidis in auram
Ducere Musas.
Quid canam Martem genitum Tonantis?
Quid patrem Martis rigidi Tonantem?
Danicum Regem iuuat atq́ gentem
Ille vel ille.
Fluctibus quod si Dea cæca diris
Surgat interdum populos retundens
Danicos: summus Deus, en, repentè
Reprimit illam.
Nil deest nostræ patriæ, nihilq́
Denegat natura Deusq́ cultæ

Dania

Daniæ. verus mihi namq; viuet
Testis Apollo.
Testis & viuet triplici recursu
Quæ frequens molles agitat choræas
Danici iuxta loca grata Nereî
Balthica Thetys.
Vndecim fibris resonare docta,
Et nouem vocum spacijs decora,
Cede testudo, ô hominum & Deorum
Dulce leuamen.
Ter tribus Musis benè iuncta Pallas
Cùm reuertetur, mihi tu sonabis
Carmen excelsum quod ament probentq;
Secula multa.
Tunc graues voces, medias, acutas,
Temperent suprà digiti sinistri:
Et fugas formet volitans per imos
Dextera neruos.

DE AMICIS SVIS INCOgnitis. Ad D. Ioh. Franciscum Ripen: Ioh. Georgius.

IGnoti rogitant, qui sit color aptus, amici,
Ornari effigies quo queat illa mea:
Quam bonus expreßit, pictorum gloria, Lucas
Leucoris vrbe nouus visus & hospes eram:
Quamq; pyro insectam solidæ, Creutzere, libellis
Iunxisti, patriæ quos mea Musa dedit.
Quod poscunt animæ dulces, Francisce docebis:
Namq; tibi formæ nota figura meæ est:

Puniceo crines capitis cernuntur honore:
Est & castaneis mollibus ille color.
Prima mihi croceo crescit lanugo nitore
Et tenero roseus vernat in ore decor.
Pupula cæruleo præcingitur vtraq; circo:
Pars oculorum alia est candida more niuis.
Pallidula est facies tenuiq; rubedine sparsa:
Pallidulum est collum, pallidulæq; manus.
Atra tegunt corpus mihi vestimenta pusillum,
Horum ego præcipuè ductus amore feror.
Illud ad exemplum nisi picta hæc viuat imago,
Non potis est faciem ritè referre meam:
Hæc teneant omnes hi, te Francisce monente,
Effigiem cupiunt qui decorare meam.
At saluere iube tales reuerenter amicos,
Qui gaudent vultus noscere signa mei.
Tuq; vale magni Phœbi generose sodalis,
Excellens herbis, carminibusq; potens.

DE IMAGINIBVS IN COElo. Iohan: Georgius.

VRanie, versu mihi dic cœlestia signa.
Cognita nãq; tibi sacra sunt systemata cœli.
Tu Iouis in solio claro vestigia figis.
Tu rutuli calida spaciaris Apollinis æde.
Te nitido cultu veneratur penniger Hermes.
Te pia miratur Venus, & iucunda Diana,
Et liquido quotquot versantur in æthere Diui.
Sic ego: sic contrà cœlestis Musa subinfert.
Ad celebres cœli quà stat polus Arcticus arces,
Quaq;

Quaq; ruit Boreas qui nubila cæca repellit
Intorto flexu geminas Draco diuidit Vrsas,
Quarũ Helice maior, minor at Cynosura vocatur.
Hinc micat Arctophylax, Musæ dixêre Booten,
Quē celebrat Naso custodē Erymanthidos vrsæ.
Hunc autem sequitur Boreæ diuina corona
Grandis honor Regũ quos tollit Aparctias atq;
Circius & Boreas fulgenti semper honcre.
Herculis hîc quoq; stat generosi grandis imago,
Poplite curuato reprimit qui colla Draconis.
Hinc Lyra adest, preßit quondã quã Pleiade na-
Quã quoq; pulsauit Vates Rhodopeius. inde (tus,
Est niueus Cygnus Phœbo sacer, atq; potenti
Danorum Regi: cuius gestatur in armis.
Tunc Ophiucus adest torto serpente recinctus.
Sidera post isthæc Aquila est, & sacra Tonanti,
Cæsaribusq; pijs. tunc Telum surgit, & inde
Delphin, quò placidè vectus Phœbæius Arion
Per mare cæruleum, tetigit sæuißima fila
Dulcisonæ Citharæ: qua motus rector aquarũ
Neptunus, rapidasq; regens pater Æolus auras,
Æquoreæq; Deæ Vatem duxêre per vndas
Cantantem, & terræ saluum imposuêre virenti.
Proximus emergit stellatis Pegasus alis
Bellerophontis equus, Vatisq; insigne Sabini,
Quo duce Barbaries hoc nostro tempore victa
Isthmiaco iuueni veluti prostrata Chimera. (est,
Andromeda hîc oritur validis cōstricta catenis
Quam genitor Cepheus, & mater Caßiopea
Inquirit lacrymans: hæc nam speciosa, decensq;
Nerei-

Nereidas quoniam forma superare studebat,
Causa fuit pœnæ, quam dulcis filia ferre
Debebat, nisi Gorgoneo sæuißimus ore
Enseq; munitus subtractam à morte cruenta
Qui socerum celso comitatur in æthere Perseus,
Hanc sibi iunxisset, thalamiq; in honore locasset,
Cum Perseô rigidæ capite exoriente Medusæ
Andromedæ signum Deltoton visitur vnà.
Acer Erichthonius tandem se tollit in altum
Hædos ostentans dextrà, leuoq; capellam
Ex humero, quamuis diuersum sentiat alter,
Nescio quis, cœli scrutator. libera sunto
Per nos sensa homini: nobis quoq; libera sunto.
Quo rapior? post hæc quæ dixi sidera, bis sex
Zodiaco nitidis insurgunt signa figuris:
Quæ sunt: trux Aries Phryxi, Taurusq; puellæ
Nobile cui tribuit nomen pars tertia mundi,
Atq; Helenæ fratres Castor Polluxq; gemelli,
Nec nō retrogradus Cancer feruore coruscans,
Herculeusq; Leo, patris & Marathonia Virgo
Interitum lugens, & Libra insigne beatæ
Iusticiæ, & diro truculentus Scorpius ore
Imò venenata cauda truculentior, atq;
Arcitenens Chiron magni præceptor Achillis,
Ægocerosq; nitens, & aquas qui fundit ab alto
Iliacus iuuenis domini pincerna Tonantis,
Æthereoq; freto pisces qui ritè mouentur.
Turbine quà rapido densatur aquaticus Auster
Cetus & Eridanus, Lepus & nymbosus Orion,
Et minor & maior Canis, & Tritonia puppis,

Atq;

Atq; Hydra, & Crater, Coruusq; atq; ara Deorũ
Et fera Centauro transfixa, Austriq; Corona,
Et Notius piscis, cœlesti lumine splendent.
Notaq; sunt toto fulgentia sydera cœlo,
Saturnus gelidus, pergrato & Iuppiter ore,
Et Mars terribilis, Sol & speciosus, & almæ
Stella nitens Veneris, Diuorũ & nuncius Her-
Lunaq; nõ vna semper cernenda figura. (mes,
Paruula sideribus sunt istis sidera iuncta,
Quorum etiã nomen formamq; videre iuuabit.
Quæ nitet in Zona, prælucida stella, Bootæ
Dicitur Arcturus. tibi Pegase sectio iuncta est
Nescio cuius Equi. tùm Tauri fronte madẽtes
Consistunt Hyades, sed dorso Pleiades insunt
Eiusdem signi. Geminis quæ substat amicis
Stella Propus fertur. Cancer Præsepe et Asellos
Exhibet: in corde est sed regia stella, Leonis.
Florida gestatur speciosa Virgine spica
Virginis & dextrã decorat stella inclyta cui dat
Præfulgens nomẽ Vindemia: Phryx at ephebus
Vrnã habet in dextra, tùm pisceis vincula nectũt.
Vincula iunguntur Nodo. quis sidera cuncta
Nomine signârit? versu potiora notaui.
Hæc ait: inq; leueis subitò se sustulit auras,
Me verò ex isto studio retraxit Iacchus
Et mea pampinea decorauit tempora vite.

DE AVLA FRIDERICHS-
burgica. Ioh. Georgius.

Qui Friderichsburgæ sedis sacra limina cernes,
Quam nuper positam rex Fridericus habet:

Aspi-

Aſpicies Regis ſolium, procerumq́; theatrum,
Et Fidei ſellam, Iuſticiæq́; thronum.
Tùm fontẽ aggreditur nitidũ lucentibus vndis,
Quem teneris Muſis dixeris eſſe ſacrum.
Aula minor Veneris, oſtendit maior Amores
Principibus media eſt, ecce dicata domus.
Omnibus ex æquo generoſus Bacchus adhæret,
Cernitur & tota pinguis in arce Ceres.
Fragrantes herbas hîc monſtrat florida Chloris:
Hîc triplices Charites munera grata vehunt.
Rex pius hîc frondes nectit, floresq́; decentes,
Pierios Vates qui decorare ſolent.
Hîc teſtudo ſonat tuba, tibia, Muſica quæuis.
Fortuna hîc vultum prodit amica ſuum.
Mars validos enſes, atq; inſtrumenta tuetur
Bellica, quæ in reprobos fulmina dira vo-
Ambit at effoſſus diuinam Nereus arcẽ (munt.
Leucothoëq́; ſacris conſpicienda vadis.
Hoc decus exornant agri, ſaltusq́; ferarum,
Piſcibus & nimium ſtagna beata ſuis.
Regalem quisquis ſedem luſtrare laboras:
Rex Fridericus agat tempora læta: roga.

AD D. IOH. FRANCISCVM

Ripenſem, de generis ſui propagine,
Ioh. Georgius.

DOcti, Iohannes, cultor Apollinis
Qui corde læto Pieridas foues:
Qui Gratias tecum decentes
Ducis honorificam cateruam:

Tun' ſci-

Tun' ſcire noſtri poſcis originem?
Stirpiſq; noſtræ magnificentiam?
Hoc vt petas, candor benignus
Efficit & veneranda virtus.
Virtus, ſodales qua veteres tuos
Amplecteris. Nam ceu tibi mens viget
Artis potens, ſic eſt abundans
Cor pietatis & alti amoris.
Non iacto ſortis, non generis decus
Vates puſillus, quem tenuem vehit
Fortuna non celſa renidens
Nobilitate, opibúſue multis.
Me Muſa dulcis, me pietas iuuat,
Mihiq; curæ eſt Chriſtus amabilis.
Hoc glorior tantùm nitore:
Non reliquas ego ſector vmbras.
Sed dùm Lyæus, dùm roſa, dum Ioci
Regnant, recludet Melpomene meum
Ortum, velut fidi parentes
Expoſuêre mihi, ſenesq;.
In Cimbria, quà Morſia nobilis
Tellus aquoſis fluctibus hinc & hinc
Circundatur, vixit vir acri
Oreq;, menteq;, Chriſtiernus:
Iohanne natus qui patre floruit,
Et lege recta terruit improbos,
Iuſtosq; iuuit. Chriſtiernus
Hic Sadolinus erat vocatus.
Sancto vetuſtus qui proauus meus
Vitam peregit coniugio probè

Cum

Cum fœmina caſta & pudica
Nomine quæ Catharina dicta eſt.
His filij tres, filiolæ & duæ,
Nati: Iohannes, indè & Ericus, &
Iuarus, Ingella, & Tyara:
E quibus eſt mihi auus Iohannes.
Blandè Mineruam qui rutilam colens
Pectus decoris artibus imbuit,
Vrbs Cimbriæ quà ſtat peraltis
Turribus aſtra premens Viberga.
Ille è Marina Nicoleo ſata
Æuo virenti ſuſtulit vnicum
Gnatum, Georgium Iohannem.
Quem benè patria noſtra nouit.
Hic & ſecutus connubij fidem
Caſti ſacratam, floridulam ſibi
Iunxit puellam ſtirpe natam
Ex Hegelundiaca, Marinam.
Hac matre & illo progenitus patre
Ætate fratres exupero meos:
Verùm viciſsim me ſtatura
Corporis hi ſuperare poſſunt.
Fratrum meorum nomina ſi rogas:
Hæc ſunt: Iacobus, Paulus, Eraſmius,
Tùm Chriſtianus qui puſillus
Cœlitibus datus eſt beatis.
Tunc vnus, alto nomine qui patris
Dictus, profunda morte Georgius
Preſſus, Theodorusq́; Primus
Stelliferas petiêre ſedes.

Poſtre-

Postremus illo natus in ordine
Venit Lutherus, præter & hos, duas
Nobis sorores addiderunt
Dorotheam & Mariam parentes.
Matrem verendam cùm rapuit Deus,
Patri dabatur virgo Selandica,
Cui nomen est præstans Elissa,
Moribus & pietate clara.
Quæ patre prægnans protulit de meo
Laurentium, qui paruulus occidit.
Hæc & Theodorum secundum
Ambrosium & peperit decentem.
Gnatas & illa hæc candidulas dedit:
Matris, Marinam, nomine de meæ
Vnam vocatam gratioso:
Quam Sophia est comitata, & Anna.
Fœcunda patri tàm fuit en meo
Virtus Tonantis munere credita:
Quod scire si gaudes, Iohannes,
Gaudeo me tetigisse plectrum.
Sed ô parumper, Melpomene, cane,
Testudo dulces tuq; modos sona,
Vt quàm mihi Cypris propinqua
Stet, meus aspiciat Poëta.
Vt natus adsum, sic ego filios
Et filias ex coniuge libera
Quæ Volphiorum gente creta'st
Progenero moderante Christo.
Hac nata nobis Barbara prodijt
Nec non Marina: has mors tamen abstulit:

Ah dura Mors, Mors quæ puellas,
Quæ rapit & iuuenes, senesq́.
Donatus indè 'st luce Theophilus,
Quem consecuta 'st auspicio Dei
Viui pios qui mitis ornat,
Dorothea. hinc satus es, Georgi.
Pluresq́ Christus si volet addere,
Datosq́ iustus demere si volet,
Eius voluntatem probato.
Quod facit, hoc facit ille rectè.
Diuûm statuto quis malus obstrepet
Feliciter? quis cœlica numina
Inflectet in peius? rogatus
Vota Deus iuuat at piorum.
Quare, ô Deus, qui sidera dirigis,
Qui lata terræ regna manu tenes,
Qui Rex fretum vastum coherces,
Pectora nostra, precor, gubernes.
At, ô Iohannes, nobilium decus
Vatum, lucerna ô Pæonij gregis,
Quæso, tui stirpem Poëtæ
Dilige, & ingenium, fidemq́.
Et dùm vigentis sanguinis es potens
Gaude decenter cum Maria tua:
Et gratias Christo repende
Pectore, voce, lyra, meroq́.

De nu-

DE NVPTIIS D. IOH. FRANcisci & Mariæ F. Laurentij Bagij.

Ioh. Georgius.

PÆonias cùm te nitidum, vir docte, per artes
Parnaßi faceret Calliopea ducem:
Ornaretq; tuos Daphnæa fronde capillos
Qui gerit auratam mitis Apollo Chelyn:
Idalio Cypris ridens è vertice, dixit:
Hunc amo, quem facies, parue cupido, meũ.
Hæc, Venus. Ille suũ procumbens curuus in arcũ
Applicuit neruo splendida tela sacro.
Nec mora, ventosis dilapsus ab aëre pennis
Transfixit iaculo pectora bina leui.
Hinc tu Iohannes, & tu Maria inclyta sponsa,
Optato fertis vulnera grata loco,
Militiamq; Deæ feruenti mente sequentes
Legitimo facitis prælia blanda modo.
Pergite, nam pugnã vestram Deus ipse iuuabit:
Et validi vestrum multiplicate genus.

DE AVLA HESLAGRIensi. Ioh. Georgius.

FRisiacæ genti sedes est illa sacrata
Quæ trahit à Corili nobile nomen agro.
Magnificum quisquis gaudes lustrare theatrũ
Aulæ huius Domino multa precare bona.
Vnum etiam moneo: qui vis intrare, superbũ
Pone animum. praui nil fouet illa domus.
Hic habitat Pietas, Charitesq;, Iocusq;, Deusq;
Tot bona Iohannes Frisius, ecce colit.

IN REGIAM DANORVM nauem, Fortunæ appellatione nobilem. Ioh. Georgius.

Præneste et Rhamnus fortunã habuêre volucrẽ
Fortunam nantem Balthica Thetis habet.
Si retinere queas fortunam, Dania, stantem:
Dania, Romano non minor Imperio es.
Molle precare tuo tempus, pia Dania, Regi
Auspicio cuius Pax tibi læta viget.
Qui Diuã, volucrẽ, nantẽ, stantémue gubernas,
Nos rege præsidio, maxime Christe, tuo.

VIRTVTES PII REGIS, EX Hemmingio. Ioh. Georgius, Regibus dd.

REgem quæ faciunt beatiorem
Hæc tu noueris esse, Rex benigne:
Christum pectore & ore confiteri:
Læta mente domum Dei videre:
Verbis, ac opibus bonos iuuare:
Et frenis cohibere contumaces:
Quod iustum est sapienter approbare:
Iniustum fugere in Dei timore:
Æquis Legibus adiuuare regnum:
Lucrum spernere, ceu malum venenum.
Regem quæ faciunt beatiorem,
Hæc tu noueris esse, Rex benigne.

AD DEVM PRO SAPIentia. Iohan. Georgius.

COelestis Pater ac omnipotens Deus,
Dulci cum Genito, Flamine cum sacro,

Qui viuis venerandus
Rex trina sub imagine.
Mitis sideream da sapientiam
Et prudentia fac pectus adimpleat:
Da mentem ingeniosam
Tangentis Clariam chelyn.
Sic crebrò celebrans te, & patriam meam,
Et Regem, atq; Duces, ac homines bonos,
Et Nymphas, & amicos,
Edam carmen amabile.
Discedet procul hinc inuidus æmulus
Qui rixas cumulat pectore reprobo.
Verùm tu pia Musa
Præclarum resona melos.
Felix qui potuit ludere molliter
Mixtus Virginibus dulcibus, & Deo
Neglectis inimicis
Quos vexat rabidus furor.

AD S. TRIADEM
Ioh. Georgius.

O Pater lati dominator orbis
Qui tuo nutu regis astra celsa
Ætheris puri, placidè fidelem
Protege cœtum.
Christe cœlestis bone Gnate Patris,
Horridam mortem nece qui fugasti
Propria, nobis mediator, oro,
Sedulus esto.

Spiritus summi Patris atq; gnati,
Luce qui sancta pia corda ducis,
Cordibus nostris dato gratiosi
Lumen amoris.

AD IOH. SASCERIDEM Vermenhusanum, Theologum & Poëtam, pro sibi exhibito carmine.

Iohan: Georgius.

CArmen, mihi quod, Sascerides potens
Vates, dedisti per venerabilem
Danum, Petrum Paruum Poëtam,
Rhetorem & eximium, legebam.
Quo lecto, amœnum personuit, nemus
Faunusq; solers, & Dryades Deæ,
Echoq;, quæ mira profundas
Voce sonare facit cauernas.
Feliciter tu, Sascerides, venis
In Daniam: nam te duce (gaudeo,
Gaudentq; campi & sylua mecum)
Orphica plectra vigere cerno.
Dani tuum si non videant decus,
Et laudibus si non faueant tuis:
Sunt duriores quàm fuêre
Quæ fera saxa mouebat Orpheus.
Nam veritatem dicere si licet,
Vincis Poëtam Threicium tuo
Cantu. Is feros mores poliuit:
Tu releuas animas iacentes.
Solùm ille sensus dicitur acrium
Mouisse plectro docto animalium

Nec non vagos preßiſſe fluctus,
Saxaq́ grandia concitaſſe.
En tu parentis ſiderei domos
Ornans decenter conſpicua chely,
Flectis Deum, flectis beata
Numina, flectis & aſtra ſumma.
Compeſcis Orcum terribilem modis
Inſtructus altis: horribilem fugas,
Qui bella ſueuit Chriſtianis
Sæua parare bonis, Draconem.
Præ te ſilebit Pindarus inclytus,
Neruos reponet doctus Horatius,
Is Muſulis Graijs decorus,
Hic Latijs nitidus Camœnis.
Quantùm potenti vilis homo Deo:
Tantùm Poëtæ, qui celebrat Deum,
Cedet caducis & profanis
Inuigilans ſtudijs Poëta.

LAVS P. PARVI ROSÆfontani. Ioh. Georgius.

CVm Daniæ clariſsimus
Rex Chriſtianus Tertius
Tuum Poëma cerneret,
O Parue, Vates maxime:
Sedens amœnam lauream
Depinxit ad frontem tuæ
Muſæ: ſupraq́ lauream
Fixit coronam Regiam.

Pictura quid talis sibi
Vult? quid bonus Rex hic docet
Signis? minores, credite
Pictura rebus conuenit.
Parui Camœna lauream
Meretur: & Regis decus
Est Vatibus præstantibus
Adferre dona Regia.
I nunc, sacros Vates cole
Quos Rex colit doctißimus:
Mirare Musas candidas
Regem docent quæ pingere.

AD AFFINEM SVVM M. Georgium Erasmium de Theol. & Poësi. Iob. Georgius.

DOcte Georgi,
Quo mihi nemo
Dulcior vnquam
Viuet in orbe,
Dic mihi quæso,
Nam bona nosti
Plurima, quare
Iura nitescunt
Et Medicina:
Sed pia magni
Dogmata Christi,
Atq; Poësis
Inclyta Vatum
Spreta videntur?
Hæc mihi pande:
Sic pia Musa
Te celebrabit
Donec oberret
Candida cœli
Templa corusci
Qui sua nobis
Carmina dictat
Flauus Apollo.

In Vi-

IN VIGESIMVM DIEM Martij. Ioh. Georgius.

BIs decima, ecce, redit lux quæ de mense coru-
Belligeri Martis nomina clara trahit. (sco
Hæc est illa dies qua natus sidere læto
Lotus & æternæ fonte salutis eram.
Hæc est illa dies qua docta Melanthonis ora
Primùm contemplans dogmata sana tuli.
Hæc est illa dies mihi qua mea cognita coniux
Exhibuit mitis gaudia prima mihi.
Illa dies gemmis, illa & decorabitur auro,
Illaq; votiuo thure notata fluet.
Illa dies cantu leuibusq; agitanda choræis:
Illa agitanda iocis, illa agitanda mero.
Illa dies multis alijs formosior, inter
Debet Ephemeridas nomen habere meas.
Vade dies felix: & fausta reuersa quotannis
Fac mea placato tempora læta Deo.

AD ANTONIVM BALDERSlebium Cher: pro Scriptis ab eo sibi missis. Ioh. Georgius.

CVm tua legissem, venerãde Poëta Cherusce,
Scripta, domus tota est lucida facta mea.
Et qui solus eram, qui solus plectra mouebam
Ante oculos vidi numina multa meos.
A dextris quidam testudine clarus & auro
Astitit: ô pulchra quàm fuit ille coma.
Huius se lateri iunxit puer, ecce, pusillus
Ostendens tenera flammea tela manu.

Hunc comitata Dea est roseo spectabilis ore
Qualem non ortus, nec, puto, vesper habet.
Opposita nudas vidi regione puellas
In triplici blandè membra mouere choro.
Hac quoq; parte stetit speciosa fronte venustus,
Delectans vario munere corda, puer.
Hîc stetit & nitido cultu decorata virago
Hastam quæ valida est visa tenere manu.
In medio cecinère nouē bona carmina Nymphæ
Qualia in æetherea credo sonare domo.
Numina si noui, prius & mihi visa, beata:
Nec genio fallor iudicioq; meo:
Phœbus, Amor, Cypris, Charites, Iocus atq; Mi-
Dulciaq; Aonij numina fontis erant. (nerua
Sæpius vt Diui cernantur in ædibus hisce,
Sæpius, ô Vates, fac tua scripta legam.

DE IOH. SASCERIDE.
Ioh. Georgius.

Non Pyladen, Lædæq; genus, Siculosq;, & Atri-
Cognosco: nota est Sasceridæa fides. (das

DE LAGONE BROCHEN-
husio. Ioh. Georgius.

LAgo nobilium decus virorum
Et nostræ patriæ vigor perennis
Danus Teutoniam videt disertus,
Germanus properat videre Gallos,
Gallus doctiloquos petit Latinos.
Mox Danos repetit benigniores
Danus, Teuto, Latinus, atq; Gallus.

Hic ergò mihi quadruplex videtur
Quandò quadruplici sono nitescit.
Quò non mens sacra péruenit virorum?

AD SOCIOS SECVM CONuiuantes ruri in festo Dyonisij.

Ioh. Georgius.

NVnc ô sodales viuite viuite
Et læta Bacchi munera sumite:
Sic vos canam Danus Poëta
Aonijs fidibus frequenter.
Vos & beabit Melpomene decens,
Famamq; vestram magnificam vehet
Phœbus pater Vatum bonorum,
Pallas & optima amica Musis.
Vos grata saltem ducite pocula
O grata Nymphis pocula ducite:
Sed plena vino dulciori
Pocula ducite vos sodales.
En vina mentem suppeditant bonam,
Vates disertos vinaq; subleuant
Ad regna Phœbi gratiosi
Castraq; splendidulæ Mineruæ.
Vinum Poëtis Pegasus est pijs
Quo mens eorum tollitur in iugum
Sublime Parnaßi nitentis
Qui Bromio sacer atq; Phœbo est.
Quapropter oro viuite viuite
Et verba miti pectore promite.

Sed

Sed dum fluit sermo Latinus
Guttura vestra lauate vino.
Dum iungo versus Æmoniæ chely,
Se Bacchus acer proripit in meum
Pectus Dione iunctus almæ
Iunctus & Idalio puello.
Et sentio nunc pectore sub meo
Flammæ calores æthereæ sacros:
Hic spiritus cœlo profundo
Adueniens rapit ima corda,
Vatum bonorum queîs pietas placet,
Et sancta virtus, & Charites probæ,
Et Christus æternus sacerdos
Quo duce cuncta creata fulgent.
Lætor sodales: læticiam meam
Testor sonantis plectra mouens lyræ.
O vos mei fidi sodales:
Læticiam hanc precor approbate.
Vnguenta vobis porrigo suauia,
Vobis coronas floridulas veho,
Et quicquid hic hortus viroris
Continet, hoc ego linquo vobis.
Tuq́ ô Mineruæ, Sascerides, decus,
Qui doctus vrges Threicios modos,
Absens licet degas, bibentes
Nos tua nomina personemus.
Nobis vicißim fac faueas potens
Vates Dei qui munere maximi
Fulges, diemq́ istum probato
Quem vocitant Dionysianum.

Censura

CENSVRA PHILIPPI MElanthonis, de C. Erasmo Michaëlio Læto. D. Iohan. Georgius.

LEucorides quandò tibi, Doctor Erasme Ca-
Albidos ad ripā dona dedêre sua: (mœnæ
Tunc tibi dicebat (nā sum memor ipse) Melan-
Aspiciens dextræ signa notata tuæ. (lanthon
Clarum & honorificum iactatur nomē Erasmi:
Quòd si fata volent alter Erasmus eris.
Acria quum valeant sapientis verba Philippi,
Oraclum noli spernere semidei.

AD DEVM PRO DANORVM Illustrißimo Rege & Domino D. Friderico II.

O Summe rerum conditor,
Regumq; Rex ter maxime,
Sceptrum tenens qui sidera,
Terram, fretum, solus regis:
Tuam benignus respice,
Ecclesiam, quam filius
Dum victima est factus, suo
Christus redemit sanguine,
Regisq; mentem Danici
Tuo excitato lumine,
Vt te suum colat Deum
Qui laus es ipsis Regibus.
Fauore sic motus tui
Rex noster in cœtu sacro
Pacis decus dulcißimum
Iusto sequetur pectore.

Sic

Sic Angeli tui canent
Laudes tibi suauißimas:
Pangentq́ Musæ carmina
Non inuidæ doctißima.
Eia tuam mentem bone
Promptißimam cerno Deus:
Cerno probum Regis pij
Pectus tibi iunctißimum.
Et cerno fortes Angelos
Deo iubente maximo
A Rege, regno, subditis
Clades graues depellere.

Deo opt: max: dedicabat Ioh. Georgius Sadolinus Vibergius.

AD AMICOS DE HISCE SVis lusibus. Ioh. Georgius.

SCire laboratis, quid iungam sacra profanis?
Iunctus sæpè malis Christus & ipse fuit.
Sæpè solent Reges inter residere ministros:
Sæpè inter spinas sunt loca grata rosis. (fana,
Nec mihi mens vna est: sacra nūc, nūc quæro pro-
Dulcia nunc posco nunc ego salsa probo.
Adde quod Aonijs Musis sunt omnia grata
Quæ non à studijs sunt aliena bonis.

IN NVPTIIS D. IVSTINI Pauli & Margaritæ Moldenhouerę. Ioh. Georgius.

AVtor Deus connubij
Vult casta necti fœdera:

Condemnat omnes impios
Fœdum quibus placet scelus.
Ergò hæreat sponsæ probæ
Sponsus perenni vinculo:
Et sponsa firmis legibus
Adiuncta sit sponso pio.
Circa torum pax aurea
Vestrum suäuiter volet:
Et vestra iungat pectora
Summi Dei clementia:
Ades Venus castißima:
Venite dulces Gratiæ:
Hîc siste Musarum cohors:
Hymen vige suauißime.
Iustinus en Sponsus nouus,
Mentis decorus lumine,
Virtutibusq́; fulgidus,
Cupidini iam militat.
Iam militat cupidini
Pugnando fortiter quidem,
Sed non cruenter, Martijs
Mos est velut sodalibus.
Quid Margarita nunc fugis
Incepta bella? quid times,
Quos tot puellæ non timent,
Arcus sacri Cupidinis?
Hîc sermo blandus perstrepit,
Figuntur hîc & oscula:
Quàm grata, quàmq́; suauia
Hæc bella, & hæc sunt prælia.

Sed casta quæ Lucretia,
Coniuxq́, Vlyßis inclyta,
Non abnegantibus piam
Fidem maritis, poscerent.
Florete coniuges boni
In prælio sanctißimo.
Pugnate tàm virtutibus
Quàm moribus dulcißimis.
Natura cùm fructum dabit
Vobis benigna fertilem
Cultum docete liberos
Præstare sublimi Deo.
Nobis Iacche paruule
Offer repletas amphoras,
Plenoq́, cornu ô copia
Nouos beato coniuges.
Tuq́, vnitatis Trinitas,
Et Trinitatis vnitas,
Rex vnus, atq́, vnus Deus
Cœtum hunc, precor, ne desere.
Sic membra qui sumus tuæ
Ecclesiæ, ô potens Deus,
Ornabimus te laudibus
Et nunc, & omni tempore.

AD IOH. MONASTERIENsem, vt huic libro se inseri permittat.
Iohan: Georgius.

IOhannes Latiæ lucerna linguæ,
Sermonisq́, decus perenne Graij,

Cui portat veneranda dona Clio
Euterpeq́, Eratoq́, cum Thalia:
Qui flores Polyhymnia canente,
Et quem Terpsichore facit coruscum:
Cuius sollicitat manum diserta
Doctam Melpomene, sacrumq́, pectus
Præstans Calliope: quiescit in quo
Cernens Vranie polum nitentem,
Et Phœbus, Charitesq́, & alma Pallas:
Qui Christo facis omnia approbante
Tu quæcunq́, facis pius probusq́:
Huc huc ô propera, meum vt libellum
Exornes placidißimo fauore:
Nec te subtrahe, quæso, ab hac cohorte.
Vt cœlum decorat, nitor beati
Solis: sic decoras meum libellum
Iohannes Latiæ lucerna linguæ
Sermonisq́, decus perenne Graij.

DE ARNOLDO BVRE-
nio. Ioh. Georgius.

ROstochij quis non Ciceronem viuere dicat
Arnoldi donec lingua diserta sonat?

LAVDES ELOQVENTIÆ.
Ioh. Georgius.

ADeste natæ fulgidi Musæ Iouis:
Laudes sacræ dicemus Eloquentiæ
Hæc diua de celso polo mortalibus
Demissa per munus diserti Numinis
Menti salubreis languidæ præbet cibos:

Pellit tenebras, & ſuis cultoribus
Nomen bonum decusq; candidum vehit.
Mores docet bonos artesq́ floridas.
Summi probam monſtrat Dei clementiam:
Scholas gubernat, vrbibus laudem parat,
Pagos tuetur atq; ſyluas atq; agros.
Ornat viros; ornat virûm potentiam.
Extollit & Nymphas ſuis honoribus:
Exponit aſtrorum vigorem, & fertilis
Telluris inclytum decus: ſæui maris
Pingit tumorem: monſtrat horridum grauis
Flammæ furorem: oſtendit aſperas minas
Ventorum, et omnem vim notat rerum omnium.
Obſcura quæ fuêre, claro lumine
Illuſtrat & depellit acre tædium.
Quicquid cupit, tollit coruſcum ad æthera:
Quicquid fugit, nigra ad repellit Tartara.
Addit vigorem rebus optimum omnibus
Omni niteſcens parte crebris floribus.
Oblectat omnes pleniore gratia.
Quàm gratus hortulus Maronis optimi.
Cauſſamq́ naturamq; rerum hæc explicat,
Rebusq́ dat colorem inæſtimabilem.
Et auribus ſecum rapit turbam rudem:
Et docta quouis mandat ire pectora.
Blandos Amores excitat: rurſus graueis
Iras, ſuam prodens potentiam, parit.
Nunc gaudio afficit ſua dulcedine:
Nunc lacrymas altas reſoluit vi ſua.
Adfert nitorem iuncta magnis Regibus,

Adfert

Adfert honorem culta ſanis ciuibus.
Tribuit ſuis laudes alumnis plurimas
Et omnibus locis, & omni tempore.
In ædibus Regum parit concordiam:
In Chriſtianorum pio cœtu Deum
Monſtrat: forum commendat almis legibus;
In militum caſtris puſillos excitat.
Prodeſt domi, prodeſt foris. Verùm Dea,
Quis te Poëtarum ſatis laudauerit?
Qui te colit, cuius per ora tu volas,
Cui gratiam præbes tuam, quem diligis,
A quo tuum ſeruatur eminens decus,
Hunc comparauerim Deo: vel proximum
Saltem Deo celſiſsimo contenderim.
Donum Dei es: nec cuilibet data es, ſed his
Quorum Deus mentes micanti lumine
Illuſtrat: & quibus placent artes bonæ
Præcepta quæ tradunt loquendi, non modò
Purè, ſed & rectè & ſonis fluentibus.
Sic nata, Dij boni, boni quantum vehis
O Eloquentia, omnibus mortalibus.

AD MARIAM D. IOH.
Franciſci. Ioh. Georgius.

LAurus Caſtalio dicata Phœbo:
Laurus Delphica ſomnium reuelans:
Laurus fulmina ſæua ritè pellens:
Laurus Gorgoneum fugans venenum:
Laurus pacis amœna nuntiatrix
Dat nomen, Maria ô, tuo parenti,

Exornatq; tui caput mariti.
Laurum propterea tu Apollinarem
Cura, quo studio potes, fouere,
Vt semper maneat virens in horto:
Horto quem manibus tuis decoris
Ornasti arboribusq; floribusq;.

AD EXIMIVM POETAM ET Medicum Doctorem Iohannem Franciscum. Ioh. Georgius.

O Mi Iohannes lux medici chori
Vatumq; fulgor: floribus vt potens,
Sic cantibus doctis renidens,
Qui Venere ingeniosa abundas:
Per te mihi cùm clara Poëmata
Flacci requiro mittier illius
Quem Phœbus & sacræ Camœnæ
Suspiciunt citharæ parentem:
Librum tuum quid das mihi proprium?
Æs & remittis quod tibi miseram
Pro libro emendo? ô caritatem
Carminibus decorandam amœnis.
Quamuis Poëtam diligo Horatium
Munus benignum gratum & amabile
Illud tuum mi frater & mi
Care Deo ac homini sodalis:
Donum tamen tu gratius hoc puta,
Inscripta primæ nomina paginæ
Quòd sint, sodales quos tibi olim
Conciliauit amica Pallas.

Hoc

Hoc nam Iohannes emicat in libro
Brochtorpianæ laus & honor domus:
Harbordus haud pompa minori
De Baria nitet altus aula.
Vilhelmus huic & miſtus adeſt gregi
Qui Schenchiorum progenie ſatus
Laus magna Staufenburgienſis
Dicitur, & noua fama, ſedis.
Forſterus indè eſt hac ſerie nitens
Cultor canentis fidus Apollinis,
Et Otto Volmerchuſianæ.
Gentis honor, decus, atq; lumen.
Matthæus & ſe iungit amabili
Fratrum cateruæ, gloria qui micat
Præclara Reitenpauriorum
Miles & Aonidum coruſcus.
Freybergiana tùm, Ioachime, ſtas
Et gente præſtans, Pieridum choro
Et dignus & dignus benignis
Inſerier ſocijs Dijsq;.
Findeiſiorum Gallus originem
De ſtirpe ducens huic quoq; ſtat libro
Inſcriptus, inſcribi ſacro qui
Caſtalidum meruit libello.
Stotzingiano ſemine nobili
Offert & altum ſe benedictus, &
Erneſtus è Remchnigienſi
Sanguine prænitido creatus.
Fœlicianus tùm nitet hîc Baro
Herberſteinus: tùm Daniel decus

Salfeldicæ gentis vigeſcit,
Tùm quoq; Rotta Sebaſtianus.
Hæc num peribunt nomina dulcium
Nec non bonorum grata ſodalium
Quos tu tuo libro notatos
Vis etiam mihi, amice, notos?
Per me perirent ſi pia nomina,
Indignus eſſem muneribus tuis:
Indignus & quem Muſa dulcis
Fontibus Aonijs foueret.
Mens eſt Poëtis vt celebrent Deum,
Infuſa cultis: nomina & vt canant
Præclara amicorum piorum:
Vtq; Ducum reſonent triumphos.
Fœlix Poëtis qui placet Entheis:
Hic nam perenni nomime tollitur,
Attollitur ductore Phœbo
Regna per ætherij Tonantis.
Cùm flore tellus, ſideribus polus,
Vndis carebit cùm pelagus ſuis:
Natura tùm vertetur, at non
Carmina ſunt peritura Vatum.
Nam ceu vigeſcet mens hominis potens,
Nec tunc peribit machina cùm cadet
Mundi: perennis ſic manebit
Mentis opus, veneranda Muſa.
Si Vatibus tu me annumeres pijs
Vatesq; præſtans & Medicus bonus:
Quos edo libros, & ſodales
Quos cano non perimeut tenebræ.

Tantùm

Tantùm quiescant terribiles minæ
Martis furentis, pax regat & Duces.
Pacem colunt mites Camœnæ,
Pacem adamat speciosa virtus.

AD CLARISS: THEOLOGIÆ
Doctorem D. Nicolaum Hemmingium Danum: virum bonum & sapientem: Academiæ Haphniensis gubernatorem Primarium: Præceptorem suum.
Ioh. Georgius.

CHristum nitentem muneribus suis
Hemmingi, amico pectore qui geris:
Qui Gratijs fulgens benignis
Ore sonas triplici Tonantem:
Scientias qui mente volubili
Comprendis altas, quas hominum labor
Insignis inquisiuit olim,
Tempore vel reliquo requiret:
Te Phœbus acer Pallas & aurea
Fecêre clarum Pieridum ducem:
Te laurea ornauit perenni
Flore vigens celebri Thalia.
In te Philippi celsa Melanthonis
Se transtulit mens & vigor igneus,
Et quæ viro tanto fuêre
Numina, sunt tibi consecrata.
Tu Paulus alter siderea tuba
Instructus, & tu lumine cœlico

Præclarus oſtendis decenter
Dogmata pura Dei ſupremi.
Id ſcripta produnt tàm prius edita,
Quàm nunc recenter, te duce, condita:
Quæ ſeduli voluent nepotes
Candida dùm Pietas manebit.
Quæ olim paraſti, ſcripta tua an canam
Nouos labores númne recenſeam?
En, quod poteſt vendi vel vltrò
Indiget haud hedera Falernum.
Clarè micanti quis radios dabit
Ioui coruſcos? Nerea Balthicum
Quis pluribus ditabit vndis?
Quiſue roſis onerabit Hyblam?
Hyblam ferentem tot teneras roſas
Quot ſpargit ardens Idalio Venus
E monte flores.: atq; paſcunt
Quot volucres nemoroſa Tempe.
Et te niteſcens progenies Deûm
Idem & bonorum dulce decus vir
Quis perſonabit? quíſue libros
Enumerare tuos ſtudebit?
Saltem rependo iam tibi gratias,
Diui Iacobi quòd mihi Epiſtolam
Dono dediſti clariorem
Sole, tuo auſpicio notatam:
Opus quod ornat doctaq; & vtilis
Tractatio, qua tu rationibus
Sanis modum rectum recludis
Quo renouatio fit Piorum.

O perge

O perge, perge ô Doctor amabilis
Hemmingi, amœnis muneribus pios
Christi ministros adiuuare,
Et decorare domum Iehouæ.
Sic Christianæ membra decentia
Ecclesiæ te perpetuo vehent
Cantu: libenter teq; summis
Laudibus alta per astra tollent.
Et, si (quod opto) qui regit omnia
Nostris triumphum Principibus Deus
Lætum dabit, diros & hostes
Impediet validis catenis:
Nec me meosq; hic bellicus impetus
Prorsus retundet, qui violentiam
Nobis minatur (quæ pericla
Hostibus eueniant malignis)
Ego' ipse nomen sæpè tuum Chely
Cantabo blanda Pegasidum choro
Grato receptus, siue cultas
Inter Hamadryadas recumbens.
Vnaq; tecum munificum Deum
Laudabo, Reges atq; canam probos,
Nec non sodales ac amicos
Aoniys fidibus sonabo.
Tunc eminebit non Elegeïa
Tantùm, querelis apta sequacibus:
Verùm & Deæ insurgent iocosæ
Multisonis modulis dicatæ.
Testudo metro sæpè Glyconio,
Sæpè audietur carmine Sapphico,

Frequenter & versu vigebit
Alcaico Pherecratioq́;.
Et Musa tollet se reliquis modis,
Legemq́; sumet quam furor Entheus
Ingesserit summusq́; Rector
Ingenij genijq́; Christus.
Laus vlla tali nomine si mihi
Debebitur : laus & tibi maxima
Reddenda erit. Nam mî pusillo
Tu Clariam citharam dedisti.
Tu me beato Thespiadum gregi
Fecisti amicum sat venerabilem :
Sic artibus doctis Achillem
Phillyrides bonus erudiuit.
Hoc sera noscat posteritas volo,
Voloq́; cantet te Latijs sonis
O Doctor Hemmingi virorum
Gloria, gloria & ô Deorum.

AD IOH. SASCERIDEM
VVermenhusanum, Theologum & Poëtam. Ioh. Georgius.

HAphniam, quà stat preciosa Phœbi
Aula fulgentis meus ibit Hermes
(Ciuium causas aget ille) vestris
Missus ab oris :
Qui tuis scriptis onerarier vult
Nuncius certus datus ad sodales
Quos tibi iunxit Ioue nata solo
Dædala Diua.

Tun' tuo

Tun' tuo ergò Sasceridi Poëtæ
Scribis? an Vates benè notus illi
Per tuos lusus modò conticescis
Iane Georgi?

Musa sic. Verbis ego mox locutus
Hisce, quid, dixi, venerando amico
Nunc boni scribam? lepidum requirit
Ocia carmen.

Publicis rebus nimis occupatus
Langueo tandem: nec enim vllus extat
Qui mihi iniunctas potis est laboris
Sumere partes.

Solus hunc cogor lapidem mouere
Pro pijs Christi Domini ministris,
Gente & hac nostra: neq; enim Poëtis
Tempora parcunt.

Tempora insano malè fœta Marte:
Marte, quem feruens peperit Megæra
(Turpe) Auernali Stygiam ad paludem
Rapta Tyranno.

Quid? quòd & victum dare cogor vnus
Plurimis iam militibus proteruis,
Qui nihil Vates, nihil ipsa curant
Carmina Vatum.

Tu vices ergò gere, virgo, nostras
Et virum doctum, placidè saluta.
Nam valet si Sascerides, vales ô
Florida Musa.

Dixi. & en Diua, haud mora, me relicto
Te salutatum petijt libenter:

Quam

Quam precor miti excipias fauore,
Digne Poëta.
Siq́; nos fido refoues amore
Vota supremo facito parenti
Vt sacris pacem tribuat Camœnis
Blandaq́; secla:
Reddat & mites animos eorum
Qui diu nobis reprobi fuêre:
Et trahat nos vt faueamus illis
Fœdere facto.
Aut (minus si nos adamare tentent
Dediti sæuo studio Gradiui,
Danicæ & gentis sitiens cruorem
Miles acerbus)
Dirigat nostri pia corda Regis
Ne ruat mæstus, sed vt excitatus
Sorte iucunda referat repulso
Hoste triumphum.
Mars licet toruam faciem rebellis
Monstrat, & nobis rabidus minatur:
Victor euadet tamen ille quem vult
Christus amare.
Vota per Vatum Deus incitatur
Vt iuuet Reges famulosq́; Regum:
Vota per Vatum ruit & malignos
Vltor in hostes.
Quare age, ô Vates, quod oportet vrge
Et lyræ sanctæ pia iunge verba.
Flectitur cœlum fidibus canoris,
Flectitur Orcus.

Ad

AD D. PAVLVM GEORGIum, fratrem: cùm illi desponderetur proba virgo Marina, præclari viri Laurentij Arnoldi Lubecensis filia.

Ioh. Georgius.

QVi cœli nitidi creauit astra
Et terram pelagusq́ & omne quicquid
In cœlo viget & solo, saloq́,
Rex atq omnipotens Deus, paterq́,
Humani & generis decus perenne,
Vt castus, bonus, & pius refulget,
Sic castos homines, bonos, piosq́,
Ducit, condecorat, iuuat, gubernat.
Quare frater amice Paule, cepto
Fac vitam studio tuam decenter
Traducas: placideq́ cum puella,
Quam tu connubio tibi exhiberi
Exoptas, Domino iuuante viuas:
Fac & præsidium Dei requiras.
Vanos namq́ hominum puto labores
Successum nisi det Deus rogatus.
Quos summus Deus adiuuat regitq́
Hos non Tenarius premet Tyrannus.
Nos autem lepidam tibi precamur
Sortem, votaq́ fundimus rogantes
Vt te Christus amet tuam & puellam
Forma & moribus integram, Marinam:
Quæ iam iuncta tibi futura Sponsa
Te felix decorabit vsq & vsq.
Germanus quoq frater en Iacobus

Quem


Quem virtus regit & regunt Camœnæ.
Offert se facilem piumq; vobis
Ambobus: nec enim ille fallit vllum;
Sed fratres studio iuuat fideli
Ac hos auxilio leuat salubri:
Et dulces socios probosq; amicos,
Non fucato animo colit fouetq;.
Iam nil restat in hac negotiorum
Turba quàm resonare cantiones
Sacras, euacuare & ampla pocla,
Et nos colloquijs leuare bellis.
Quos vexant animi graues dolores,
Hi sese releuent Ioco & Lyæo.
Quos non exhilarat medela tanta,
Hos saxis reor esse duriores
Orpheus Threïjcius Poëta priscus
Quæ solo citharæ sono mouebat.


AD D. IOH. FRANCISCVM Ripensem Elegia pro acceptis ab eo Poëmatijs. Iohan. Georgius.


QVod mihi, Iohañes Francisce, poëma dedisti
Nomine te dignum Vatis adesse probat.
Non etenim carmen blando tantummodo ductu
Profluit, vt numeri Naso diserte tui:
Sicut & arguti suauissima scripta Tibulli
Quæ facili cursum mollius amne trahunt.
Nam quoq; iudicium (si rectè iudico) sanum
Esse tibi lenis Calliopæa docet.

Et labor hic monstrat qua sis virtute refulgens
Dùm veteres socios dùm canis atq; nouos:
Dumq; pij Regis defles lacrymabile funus
Decessu cuius Dania tota dolet.
Aurea cœruleus demonstrans cornua Rhenus
Ad citharæ stupuit fila sonora tuæ.
Ac tua Neccarides mirantes carmina Nymphæ
Dicuntur lepidis te celebrasse modis.
Albiades Diuæ tibi florea serta dederunt
Cernentes genij munera læta tui.
Balthica Callirhoë, tùm Cimbrica Callianassa
Te colit ob venæ flumina grata sacræ.
Non igitur miror quòd te Schosserus, & ipse
Æriferæ vallis gloria Maior amet:
Teq; canat Graio Ionas Tintenius ore,
Lotichiusq; sua mitis amansq; lyra,
Et Secceruitius, nec non Caselius, atq;
Osius Aonij cura fauorq; gregis.
Perge rogo, non tu iam desine condere carmen
Doctorem quamuis te Medicina vehat.
Quin, igitur potius tu blanda poëmata pange
Nobile quòd medica nomen ab arte geras.
Qui Medicos reddit, Vates quoq; reddit Agyleus:
Huic pariter curæ carmen, & herba Deo.
Perge, inquam: Musas educ, et scripta relinque,
Vnde tuum noscant secla futura decus.
Sic tua frondentes lambent insignia lauri,
Ornabitq; tuum splendida Fama caput.
Quotq; tibi coniux Bagiorum sanguine nata
Oscula dat, flores tot tibi Musa dabit.

Simpliciter virtutis amore.




2130.


2130.